

# DISSERTATIO

## PHYSICO-MEDICA, THEORICO-PRACTICA,

# DE NATURA,

DIFFERENTIIS, CAUSIS, ET PROGNOSI PULSUS,  
 CUM BREVI NOTITIA DE NATURA,  
 DIFFERENTIIS, CAUSIS, PROGNOSI,  
 ET CURATIONE FEBRIS MESENTERICÆ  
 cum Catarrhali complicatæ.

AVTHORE

D. D. JOSEPHO MARQUEZ, ET GUTIER-  
 rez, Apollineæ Scientiæ Hoscensi, atque Casaraugustano  
 Doctore; olim in Villis de Alcolea, Fresneda, & Augusta  
 Dominarum Divi Joannis Baptiste de Sigena crucifero  
 Nobilitatis stemmate insignitarum Domo titulari  
 Medico; nunc in Casaraugustana Urbe Sancti  
 Cosmi, & Damiani Collega.

DICATA

PERILLUSTRI DOMINO D. D. JOSEPHO AMAT,  
 & Mauleon, Casaraugustæ Archidiacono, &c.

CÆSAR-AUGUSTÆ:

Apud LUDOVICI de CUETO, Typographum.

mas. fatali tem. racion de un apirato de pais.

Las Casas, y Clarines;  
 y las Espadas,  
 se previenen, sin dudas;  
 que avrâ campaña;  
 pero en la Europa,  
 no ay ninguna Ciudad  
 que mire a Troya.  
 29 Juev. templado 1 30 Vier. rebuelto

JULIO. Tiene 31 dias, la Luna 30. sale el Sol a las 4.

1 Ab. sol  
 2 Dom. bueno  
 3 Lun. mejor  
 4 Mart. profigue.  
 Luna nueva a las 6. y 3. ms. de la mañana. Los  
 cueros graves padecen algunas lienterias tero-  
 fas. Ruidosa planta en la Corte de Geminis. Fel-  
 ces caminos, y dichosas navegaciones para la  
 Corte de Leo. Fortificante plazas en Virgo.  
 Relinchan los Cavallos,  
 mucho se inquietan,  
 y son soplos ardientes  
 las pajas quemant:  
 fude el incendio,

todo en una gran fatalidad.

Alborotanse mares,  
 Tigres las olas,  
 por escollas de luces  
 faltan furiosas:  
 los navegantes,  
 que a la playa llegaron  
 forman mil vayles.  
 27 Vier. bueno  
 28 Sab. sangra  
 29 Dom. purga  
 30 Lun. andá  
 31 Mart. ve a casa

FEBRERO. Tiene 28 dias, la Luna 29. sale el So

1 Mar. bueno.  
 Luna meng. a las 7. de la mañana, y 48. ms.  
 Geminis, dias claros. Dolores de muelas. En una fi-  
 ta se dexan ver con mucho aplauso unas perfon-  
 de supoficion. Muy cuidadosos andan los Medico-  
 Un Doctor que camina  
 muy entendido,  
 de los enfermos busca  
 los amarillos:  
 con alegría  
 en su casa recoge  
 hijos de Mina.

que

Az

Jue

PERILLVSTRI DOMINO  
D. D. JOSEPHO DE AMAT,  
ET DE MAVLEON,

CÆSARAUGUSTÆ ARCHIDIACONO, &c.

PERILLVSTRIS DOMINE:



*OC mihi nuncupabam opus,  
dum nostris quotidianis elu-  
cubrationibus, pensisque assi-  
duis in suam excresceret mo-  
lem, & domesticis oclusum  
tecti latibulis jaceret delites-  
cens; nunc verò tandem aliquandò tuis subsi-  
diis ad calcem productum, & lucis auram  
adeptum, tuum appellare, mei est & muneris,  
& officij. Tuum, inquam, cum tuis sub aus-  
piciis primam nanciscatur lucem, & in sinu  
tuo, & humanitate, quodam veluti exoptato  
centro conquiescat. Tuum, cum tanto nomine,  
velut arce regia, & firmissimo propugnaculo*

a

in

in montium vertice locato promunitum, nul-  
los hostium pertimescat incurfus. Tuum, cum  
parum non hauriat splendoris, nec exiguum  
mutuetur honorem tanta dominationis majesta-  
te illustratum. Non rabidis invidorum denti-  
bus abrodi, nec rigida hujus tempestatis Criti-  
corum sententiâ configi verebitur. Cum enim  
aliquis, cui nostra non arrideret doctrina, se-  
vero sua Artis critycerio hunc Medicis labo-  
rem vellet discutere, & examinare, suos cohi-  
beret conatus, gradumve sifteret, ad hanc  
nuncupatoriam epistolam divertens oculos; sin-  
minus Authorem vereretur, Patronum sum-  
mâ, quâ par est, veneratione, & observantiâ  
excoleret. Quis enim, vel tui sanguinis splen-  
dorem, vel Parentum famam totis Hesperiiis  
longè, latèque diffusam, observans, in te con-  
fluentium munimentum tutissimum non ani-  
madvertat? Quis majorum facinora tot tuis  
virtutibus, tot laudum premiis, tot honorum  
titulis aucta, & locupletata, tacitâ animi re-  
verentiâ, & stupore non contempletur? Nul-  
lum adeo peregrinum in Historia provinciis

crediderim, quem fugiat Majores tuos prima  
dignitatis subselia ab exordio Aragonia Regum  
meruisse, & inter catus illustrium Procerum,  
quos Ricos hombres moris est appellare, merito  
suis gestis debito, splenduisse. Amplam dicen-  
di segetem, & inexhaustam verborum suppedi-  
taret copiam. Avorum tuorum vel bellica forti-  
tudo, vel civilis prudentia. Longiorem hac  
expetunt narrationem, & majores dicendi vi-  
res, quàm brevis epistola patiantur angustia.  
Pleni sunt Sapientum libri, plena nostrorum  
Historia, ubi gentis Amat, & Mauleon, vel  
in bellis tractandis fortitudo, vel in privatis  
Principum negotiis conficiendis peritia splen-  
deat, & ad invidiam, & ad posterorum admi-  
rationem. Si Paterna nobilitati mentem hæ-  
reas, altas in Vice Comite Tarraconensi Ber-  
naldo Amat, videris, infixisse radices. Ex eâ  
tot frondentes pullularunt rami, ut tanta do-  
mni perennem gloriam repromittant. Hinc  
erumpens Raymundus Amat, Alphonso Impera-  
tori Socium se præbuit militem, & periti Du-  
cis normam exegit in Casaraugustana obsidio-

ne, & Maurorum profligatione; Augustam  
Urbem dominatu vexantium, & Mahometi-  
cis ritibus, cultuque sacrilego inficientium.  
Hinc uterque Raymundus, alter sacris infulis  
Barchinone decoratus, posteris undequaque  
perfectam, & expressam summi Praesulis retu-  
lit imaginem: alter in Martio pulvere praecla-  
ra dedit suae fortitudinis, & militaris peritia  
documenta; dum Ramiri (cognomento Mona-  
chi) vexillis, & Berengarii Principis signis  
arma tractaret, pluresque suis dominis relatas  
nuncuparet victorias, & attrita Maurorum  
superbia Imperium protenderet, & amplificaret.

Quid proferam Petros, Guillelmos, & Jo-  
sephos, qui suam Hispania, & Aragonia Regi-  
bus operam strenuò navarunt, vel bello indefes-  
si Duces, vel pace providi consilarii? Non  
possunt tot, tantique Viri in hac mihi suscepta  
sparta nec pro dignitate comendari, nec pro vo-  
tis recenseri. Si tot rerum memoriam arctis  
epistola finibus circumscribere tentarem, con-  
funderem facinora, non explicarem. Opus es-  
set circumferri orationem per pulchra Majori-

ca, & Valentia oppida, ubi Majores tui pro  
fide, & Jacobo Rege exitiis, cladibus, exter-  
miniis innumerabiles Sarracenorum turbas vi-  
cerunt, profligarunt, delerunt. Unum memo-  
ro de tuo genere benemerentem Petrum Amat,  
quo audito nomine, species maximi Viri, &  
divini cujusdam consilii oculis omnium subori-  
tur. Hic vulgatis Belgarum tumultibus sub-  
nutibus Comitis de Fuentes varia Martis ten-  
tavit discrimina, victor ubique, victus nun-  
quam. Hic deficientes populos ad obedientiam,  
& observantiam sui Principis armorum metu  
coegit. Hic Philippi secundi nomine militaria  
extulit signa, & gentes convocavit intestinis  
Regni motibus sedandis, sopiendisque. Haec,  
& alia mirabilia, quae invitae pratermitto,  
historiis divulgata, & variis trita volumini-  
bus, Paterni generis commendant celestitudinem.

Non minora occurrunt Materna tua pro-  
paginis monumenta virtutum. Tot enim ger-  
minavit Nobilitatis virgulta arbor Materna,  
ut amanum affingat hortum, & honoris spi-  
rantem floribus, & virtutum fructibus ditissi-

*mum* : si enim a *Primoribus* hujus familiae repe-  
tam originem, illicò obversatur oculis *Guilliel-*  
*mus de Mauleon*, qui Regis *Martini* pedibus  
victos, & debellatos subjecit *Fradiquum Ara-*  
*gonium*, & *Frances de Vintimilla*, nescio quid  
insidiarum in Principem suum nefariâ auda-  
ciâ, & perfido ausu molientium. Sed perduel-  
lium irrita evanuerunt vota, & in auras inania  
evasere; dum enim insidiarii hostes *Majestatis*  
suas tentare vires, manusque conferre cum  
*Guillielmo* ausi sunt, equam sui sceleris panam  
victi, & domiti luerunt, fascesque tanto *Du-*  
*ci* subjecere humiles.

Hos *Martios* *Guillielmi* spiritus quasi hæ-  
reditario jure hausit *felix Mauleonis* proles,  
qua suorum Principum prona obsequiis, &  
officiis nata, nunquam eos bellis oppugnatos,  
hostibusque lacesitos periculi reliquit obnoxios,  
nec suis intenta incommodis damna subire, ad-  
versusque fortuna ictus periclitari recusavit,  
ne Regius honor, & *Majestas* offensa minueret-  
ur injuriâ; imò libertatis dispendium, & jac-  
turam gloriosam reputans, aliquandò captivi-

tate convertit; ut Principes suis in honoribus,  
juribusque servaret immunes. *Larrandus*  
*Mauleon* Imperator Regium duxerat *Exerci-*  
*tum* audaciâ *Ripacurtiæ* Civium coercendâ  
quos armis, militibus, & longo comœatu ad  
pugnam paratos, viribusque superbientes ani-  
madvertens, ad apertum certamen evocat,  
sua magis fretus virtute, quàm exiguo copia-  
rum numero. Utrinque Militum exarsit ira,  
utrinque acriter pugnatur; sed fatum invidum  
male prospexit *Larrando*, manusque dare cap-  
tivas coegit victori. Non inde *Mauleonis*  
splendor obscuratur, sed clarioribus fulget radiis,  
non minuit sua fortitudinis famam, nec cogni-  
ta, & perspecta exempla constantiâ; sed robo-  
rat, auget, nobilitat. Periculis jactari, & in-  
fandis casibus agitari, exilio premi, à Paren-  
tibus, à Patria, à Filiis arceri, & divelli, tu  
insontes servantur Principes, maximum est im-  
pavidi animi, & invictæ constantiæ argumen-  
tum. *Felix* gens non minores nacta glorias;  
cum victrix triumphavit, quam cum victa,  
urgente fato, occubuit inimicis.

Nec modo ferro instructi, & ere Mauleones  
insevierunt Regibus, & eorum incolumitati  
prospexere: sapè Mercurii virgam arripuere  
feliciter, ut ratam inter Principes pacem stabili-  
rent, confirmarent, & propulsis belli motibus  
populos anxietate liberarent. Joannes Mau-  
leon jugis sanctitatis, & religiosa observantia  
exemplar, Carolum inter, & Ferdinandum  
Reges, hunc Hispaniarum, Galliarum illum,  
sparsa discordia semina restrinxit, & exitialem  
Martis ardorem jam jam in apertum discrimen  
erupturum compressit. Hac tui generis  
exempla, & virtutum monumenta referavi, ne  
ullus hanc nobilem indolem nobilioris animi spe-  
ciem referentem in te ortum duxisse, sed incre-  
mentum potius accepisse, suspicetur. Crevit in  
te prima nobilitatis imago; non in majoribus  
extincta, finemque suum sortita est; sed maxi-  
mo nostri bono in te derivata fluxit illustrior,  
& formosior. Quodque magis mirandum est, si  
quedam ingenita virtus, & natus honos, in  
Avis, Proavisque non affulsisset, magnum pro-  
priis meritis ascrivisses splendorem. Merita tua  
sunt.

Sunt singularis prudentia, morum comitas, &  
genii suavitas, quam in te intenti advertimus,  
inspicimus, veneramur. Una inter plures ani-  
mi dotes principatum exercet, liberalitas, in-  
ditus, & secretus amor omnium pectora benefi-  
cii devinciendi. Ad hoc unum videtur te natu-  
ram genuisse, exercuisse genium, fortunam ser-  
vasse. Quae in me contulisti, & cumulasti, libens  
cunctorum oculis objicerem, ni tibi foret inju-  
cundum, qui merita oblivisceris, quam facis  
beneficentius. Quibus omnibus si miram tuam  
rerum eruditionem adjicimus, quis te non sus-  
piciat, miretur, arcessatque naturam, quae vi-  
rum tot scientiarum instrumentis ornatum,  
disciplinarumque ornamentis instructum, refe-  
rat? Tu enim Nobilium Mediolani Collegio  
in Latinitatis, & Philosophiae studiis nimium  
operæ consumpsisti. Subindè Ticinensi Athenaeo  
communi juri strenuè navasti, & Doctoratus  
apicem ex proprio jure accepisti. Tui etiam no-  
minis commemorationem omni cum posteri-  
tate adequasti, dum anno ab orbe condito  
M.DCC.XVIII. Philippus Quintus Potentif-

*simus Hispaniarum, & Indiarum Rex capite  
sanxit, omnes Iberos candidatos Roma intra  
breve trium mensium spatium exilii jura, po-  
testatemque subire; propria enim virtute, pro-  
priisque meritis, tui, tuorumque immunitatem  
obtinuisti, & ipsius Regis imperio Augusta  
Tarraconensis infirmorum Domus sollicitudini,  
& cura ipsorum societate praeuisti. In tot mu-  
nerum repetendis gratiis me, meaque omnia  
offero, & deuoceo.*

Dominationis tuae  
addictissimus Servus,

*D.D. Josephus Marquez, & Gutierrez.*

APPRO-

APPROBATIO

*D. D. FRANCISCI LORIERI,  
Artium Magistri, ac earundem olim semel,  
& iterum Professoris, Theologiae Doctoris,  
ejusdemque in D. Thoma, sacrae paginae,  
vespertina, & primaria Caesaraugustana  
Universitatis Cathedra Interpretis, nunc  
Jubilati, Archidiaeceseos Examinatoris  
Synodalis, & ejusdem Metropolitanae Ec-  
clesiae Canonici Penitentiarii, &c.*

**A**NIMO saepe saepius evoleram, optimum  
discipulum terrae feracissimae comparan-  
dum: haec, quae ab agricola suscipit, maximo  
cum faenore restituit; ille, ut ait Mufonius (1)  
quidquid à Praeceptore exhaurit, ipsi cumulatissi-  
mè retribuit. Praeclarum utique similitudini testi-  
monium suppetit D.D. Josephus Marquez, Apol-  
lineae scientiae & Hoscensis, & Caesaraugustanus  
Doctor, ac Collega meritissimus, qui Philosophiae  
semen, ejus ingenio feliciter, à me creditum, tot,  
& tam uberibus mihi fructibus rependet, ut la-  
bores mei illis potius, quam propriis meritis co-  
ronentur; bonus namque discipulus Magistri ornatus  
est, qui sapientiam ejus ostentat eruditione discantis  
(2) Hinc ex discipulis Magistrum ornabo, dixerat Na-  
cianus (3) dum inter prima Christi elogia Dis-  
cipulorum enumerat praestantiam. (4) Cum igitur  
tam pretiosos fructus pergratus mihi Disci-  
pu-

(1)  
Mufon. ap. Stob.

(2)  
Celad. in Judith  
cap. 5. v. 16. §. 35.  
ex Clem. Alex.  
strom 2.

(3)  
S. Greg. Nacianz.  
in orat. pro Basil.

(4)  
Celad. ibidem.

(5)  
Beyerl. in Theat.  
vit. hum. v. Disci-  
pulus.

(6)  
Cassiodor. variar.  
cap. 23.

(7)  
M. Joan. Bap. Man-  
tuan. Epist. ad  
Francis. Picum  
Mirand.

(8)  
Volaterran. lib.  
13.

(9)  
D. Ambros. lib.  
10. Instit. Reth.

(10)  
Politian.

(11)  
Tac. Ann. 1.

pulus in opere propinet, pluris profectò eos  
ducam, quam strenas in Kalendis à discipulis  
oblatae, Romani Præceptores æstimabant. (5)  
Quare tanto gaudio has Dissertationes, & commis-  
sionem perillustri D. D. Josephi Escalzo, & Mi-  
chael, Majoris Collegij Sanctæ Crucis Vallis-ole-  
tani purpurati Alumni, & Cæsaraugustæ Archi-  
dioeceseos Provisoris, ac Vicarij Generalis, &c.  
excepi, ut ipsi gratias egerim, sicut Augusto his  
verbis retulit Cassiodorus (6) *tu solus, mi Augus-  
te, quando imperas, præmia tribuis.*

Cum ergo animo indulgens, & commissi-  
oni parens, opusculum hoc *tanta voluptate percursu-  
rerim, quanta luculentia resplendet;* (7)

*nil non laudabile vidi;  
omnia, quæ legi redolent leporem* (8)

Est etenim in illo adeo verissimum, *vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, & gratiam fastiditis, ut quæ in hoc Auctore maxima sunt, imitabilia non sint; ingenium, inventio, vis, facilitas, & quidquid arte non traditur.* (9)

*Vetustis novitatem redit inventione: has namque materias, etsi jam à veteribus attactas, miro, quo pollet ingenio, ita nobilitat, & illustrat,*

*Ut decus omne suum cedat stupefacta vetustas* (10)

*non enim (ut recte Tacitus) (11) omnia apud priores meliora sunt, nostra quoque Ætas multa laudis in Artibus adauget:*

*Laudamus veteres, jea nostris æstimur annis,* (12)

& de ingeniosa novitate, qua Auctoris industria plura de Pullibus, & Febre lymphatica ignota detegit, præferat Gallenus (13) *plurima hodie inveniri, quæ apud Majores non fuerant adinventæ.*

*Novis auctoritatem adiicit* argumentis; haud ambigas; sunt enim rationis pondere firmia, genuina adversantium solutione solida, veterum machinationes refutantia, & Neotericorum animos inflectentia; perspicue, utiliter, & dogmaticè compaginata; non nimio Dialecticæ scrupulo confusa, non subtilitatum commercio implicata, non ardoris contagio infecta, nec vanis argutijs lascivientia. Omnes fere Scriptores ita sectantur Scholarum nugas, ut inanibus quæstiunculis tenaces, captiosis subtilitatum spiculis lacerati ineptis sophismatum concertationibus immerfi inutiles reddierint Commentarios. *Deplorandum est utique (ut eruditissimo viro consonem) sic Medicos scribere ardenti disputationis æstro, ut nec unius febris remedium adeo inflammatis discursibus præscribatur.* (14) Idem plangens Petronius (15) ait: *Et ideo ego adolescentulos, existimo, in Scholis stultissimos fieri, (audacter, sed prudenter) quia nihil ex his audiunt, quæ in usu habentur.* Sed Auctor prudentissimus iustas nobis querelas demulcet, & lachrymas abstergit, hanc namque barbariem subterfugiens, has cavillationum tenebras acuminis splendore dissipans, rationes Tyronibus conspicuas instruit, & praxi accommodatas instaurat.

*Obsoletis nitorem iniungit, methodi pulchri-*

(12)  
Apud Joseph. Lan-  
zoni tract. de Sali-  
va.

(13)  
Gallen. 14. Meth.  
c. 17.

(14)  
In elog. ad com-  
ment. Sexti. D. D.  
Michaelis Moez.

(15)  
Petron. in Satyr.



(16)  
D. Thom. 1. p. q.  
39. art. 8. in corp.

(17)  
Sydon. Apollin.  
lib. 9. Epist. 9.

(18)  
Cassiod. lib. de div.  
lect. c. 30.

(19)  
Lactant. de Cypria.  
loq. c. 1. de fals.  
relig.

(20)  
Lipf. Epist. 37. ad  
Portel.

(21)  
Hipp. lib. 1. de  
Dieta.

(22)  
Manil. lib. 1.

chritudine. *Futurivuln*, juxta Angelicum  
Præceptorem famulantur; primo integritas, sive  
perfectio; debita proportio, aut consonantia, &  
claritas expedita. (16) Quis autem trium horum  
aliquid in his Dissertationibus desideret? quis non  
mirabitur integritatem maximam, qua ita perfec-  
te complectitur omnia ad pulsus, & febris lym-  
phaticæ notionem spectantia, ut nihil, quod ad-  
di, aut demi possit comperiat? *Hoc enim ope-  
re*, (ut verbis utar Sydonii Apollinaris) (17) *gra-  
via maturè, profunda sollicitè, dubia constanter;  
quædam severè, quædam placidè, cuncta perfectissi-  
mè exagitantur.* Quis non commendet mirabilem  
proportionem, qua ita fluit doctrina catenata,  
qua ita antecedentibus subsequencia consonant, ut  
hec habeant disjuncta præconium, conjuncta miracu-  
lum, prout olim scripserat Cassiodorus. (18) Quis  
denique summam claritatem inficiabitur? Cum  
Auctor polleat ingenio, ita copioso, suavi, &  
aperto (Lactantio loquor) (19) *ut discerni ne-  
queat, an ornatio in eloquendo, an felicitas in ex-  
plicando.* Igitur ea est Auctoris in differendo perf-  
picuitas, & operis singularis methodus, ut ipsi  
merito Lipsianum illud (20) *placet materia, ordo,  
industria: illa utilissima, iste facillimus, hæc sum-  
ma, appingere debeamus.*

*Obscuris lucem communicat, experimentis:  
Auctor siquidem ex Hippocrate animadvertens,  
(21) sæpè numero rationem sibi fingere, quæ eludit  
deinceps experientia, quia*

*Per varios usus artem experientia fecit,  
Exemplo monstrante viam: (22)*

has

has Dissertationes, potius, quam variis Doctorum  
opinionibus, aut nudis rationum subtilitatibus,  
innumeris remediis, singularibusque observatio-  
nibus, tam longa, quam felici experientia com-  
paratis, prout ad Climatis praxim confert, ob-  
firmavit, optimè iudicans:

*Heruis, non verbis, fieri medicamina vita. (23)*

*Gratiam fastiditis immiscet, stylo, & brevitate*  
quibus opus gratum undique redditur, & deco-  
rum. Stylus nec nimio lepore vernans luxurit,  
nec rusticana solloce amictus squallet; nec sordi-  
dè barbarus convicium, nec vanè comptus cen-  
suram veretur; sed togatus, pollitus, placidus-  
que & laudem merebitur, & famam: Stylus sanè  
ad docendum propriissimus, Latinitatis subtemi-  
ne luminosus, phrasis mensura temperatus, nec  
profusus, qui cinctione, nec arctus, qui exten-  
sione indigeat: utique aureus, ut non violenta  
pressionem, sed naturali amoenitate, non ad molli-  
tiem pumicatus, sed ad elegantiam floridus; non  
phrasium syrmate superbus, sed conspicuis perio-  
dis pretiosus fluat, splendeat, scintillet. Haud  
gratiam imminuit brevitatis: adauget potius, nam  
*Nobile, sui pretio, haud mole libratur opus (24)*  
vel ut Bononi cecinit (25)

*Quale, at non quantum, confandunt maxima;  
parvus*

*Ingenia illustrat grandia sæpè Libers;*  
nam ex Plutarcho (26) *idem operibus convenit  
quod nummis, qui eo sunt pretiosiores, quò in mino-  
ri quantitate plus valoris amplectuntur; ideo (sub-  
dit) gratum, & optimum videtur opus istud, in*

(23)  
Ap. Joann. Bap.  
Picher.

(24)  
D. Salv. Card. ima  
pres. del Lambic.

(25)  
Joann. Franc. Bo-  
non. Impres.

(26)  
Plutarch. in Phri-  
tion.

c

quo

quo paucis multa sunt graviter, sapienter, acute  
que significata.

(27)  
Plin. Jun. Ep. 13.

En ergo absolutissimum opus: en doctrinam  
exemplis comprobata; en stylum non corym-  
bis salebrosum, sed eloquentia placidum; en di-  
lucida serie materias concinnatas; & quamquam  
hæc sint maxima, majora sunt, teste Plinio (27)  
quando, quia primæva sperabantur minima, totum  
haurit in principio. Hæc profecto valde sunt  
mirabilia; miraberis autem magis (id Plinius de  
Avunculo prædicabat) si scieris, Auctorem fa-  
cultatem exercere, mediumque tempus disten-  
tum, impeditumque officiis maximis habuisse,  
tanto enim omnium plausu, & affectu excipitur,  
ut nec horæ usuram quieti concedat, quin aut  
ægotantibus adsit, aut ab illis expetatur. Sed  
quid mirum? Si totus semper in lectione, totus in  
libris, nec die, nec nocte requiescens aut legit sem-  
per, aut scribit, aut curat.

(28)  
Senec. Epist. 5.

Præterea cum in hoc perfectissimo opere ni-  
hil vacet ab utili, & doctrina, nihilque à fide  
Catholica declinet, aut probis moribus adverfe-  
tur, quamvis Auctorem diligam, ut Seneca (28)  
severè judico: hæc scripta nedum typis mandan-  
da, verum etiam.

Linenda Cedro, & levi servanda cupresso  
ut publicæ utilitati consulatur. Sic sent. fal. mel.  
Cæsar-Augustæ die 14. Augustæ an. 1747.

IMPRIMATUR.

Escalzo, Vic. Gnl.

D. D. Franciscus Lorieri

CEN-

## CENSURA

D. JOSEPHI à MARTINEZ,  
in Cesar-Augustanæ Urbis Academiæ Sa-  
cræ Theologiæ Doctoris, Ecclesiæ Parochialis  
Sancti Archangeli Michaelis de los Na-  
varros ejusdem Civitatis Rectoris, Diœ-  
cesis Albarracinensis Synodalis Examinato-  
ris, & Sacræ Inquisitionis Aragoniæ Qua-  
lificatoris.

PERillustris D. D. Josephi Escalzo, & Acedo  
hujus Cæsar-Augustanæ Diœceseos Proviso-  
ris, ac Vicarij Generalis, &c. Mandato obse-  
quens, quam diligentissimè, & jucundissimè  
cum legi, tum perlegi librum à Doctore D. Jo-  
sepho Marquez, & Gutierrez elaboratum, sive  
potius Bibliothecam, cujus titulus est: *Disserta-  
tio phisico-medica, &c.* Opus mihi, licet à meo  
litterario cursu profus alienum; tamen mea sum-  
ma erga Authorem necessitudine jucundissimum;  
posteritati utilissimum, & arti medicæ operam  
nabantibus perquam necessarium: primum equi-  
dem non displicet imò delectat: *Tum quia aper-  
tissimè dicit copiosissime diserit*; ut de Aphro Phi-  
losopho Aurelius Antistes scripsit luculentissime.  
(1) Tum quia, ut providus Paterfamilias profert  
de Thesauris suis nova, & vetera. (2) Omnia ita  
ingeniosè temperans, ut & vetusta memoret, &  
nova recenscat, ea prudentia comparans, utra-  
que tali sapientia miscens, ut novitatis nitorem  
cum vetustatis gravitate sciat conjungere, eo in-

(1)  
Lib. 8. de Civitate  
Dei.

(2)  
Matth. cap. 13.

genij acumine, ut antiqua recentum venustatem,  
& nova veterum pondus ornatissimè præferant;  
quod arduum sanè, teste Plinio: *Ardua, inquit,  
res vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, ab-  
soletis nitorem, obscuris lucem, dubijs fidem, om-  
nibus naturam, & natura omnia.* (3)

*Sed si Medicina, juxta Casiodorum, judicem  
non habet.* (4) Et secundum Othonem Eneum:  
*Cuique suum studium.* (5) Alienum prorsus, & à  
vera ratione, & ab instituto meo, non immeritò  
judicabitur Censoris personam induere, discusso-  
ris officium exercere, & judicis munus obire; ea  
propter laudatoris partes panegyrim texens, hi-  
lari, gaudentique animo complectar, mihi enim  
hujus voluminis folia non minorem spero utilita-  
tem allatura, quam illa, de quibus aptissime ait  
Ezequiel: *Videntur folia ad Medicinam.* (6) Vel  
ut testatur Joannes: *Mirantur folia ejus ad sanita-  
tem gentium.* (7) Ad sanitatem omnibus gentibus,  
me hercule, conferendam Medicina se se offert  
æstimabilior in ipsius folijs, nondum satis affec-  
tis laudibus.

Laudatoris partes suscipiam, non unicè tan-  
tum; quia diu arctissimo familiaritatis vinculo sit  
Author mihi conjunctissimus, dulcioris Medica-  
minis vices gerente non vulgari familiaritate: sic  
Blesensis veram commendabat amititiam: *Amiti-  
tia est pro Medicina Egrotis.* (8) Imò juxta Sene-  
cam in amicorum affectu tota vita consistit, ideò  
Epistola 79. dixit: *Nilil aquè Agrum reficit, si-  
cut Amicorum affectus: non judico me mori, cum  
illos superstites relinquo.* (9) Non quia sub eodem  
doctrinæ Duce militavimus, & eidem militiæ,  
dum Philosophiæ operam dabamus, nomen ad-  
crip-

cripsimus, & eidem sententiæ adhæsimus; quod  
arctam parit affinitatis conjunctionem: ut dice-  
bat Proterodamus: *Sicut sunt corporum, ita &  
ingeniorum cognationes.* (10) Non quia mihi ad-  
versa valetudine laboranti continuo exhibet pie-  
tatis obsequia incomparabilia, ita meæ infirmita-  
ti medicamini adhibendo incumbit, ac si in alijs  
senandis non versaretur, ita tamen, ut non de-  
prehendatur substrahere aliquid sollicitudini,  
quam ipsis ex infirmitatibus eruendis jure tene-  
tur adhibere; qua propter Medici prope divini  
tibi jure aptatur nomenclatura, nam simili de  
causa Medicum verè divinum aureis istis verbis  
extulit Augustinus: *Sic curas unumquemque nos-  
trum, ut vel solum unum.* (11) Non quia ejus in-  
genium est sæcundum, & sublime, ita ut possem  
illud, licèt non pro meritò laudibus efferre, tum  
quia callet plurima, quæ cuivis homini sunt or-  
namento; tum quia altissime judicat super ardua  
quæque ad Medici cujusque tymbrum magno  
opere pertinentia, quare pretium ejus præpon-  
derat auro, quod hisce quidem temporibus nul-  
libi contingere comperimus, ut Ponticus occinit  
Poeta: *Ingenium quondam fuerat pretiosius auro,  
ast nunc barbaries grandis habere nihil.* (12) Non  
quia ejus indoles quipè, quæ laudabilis omnium  
corda allicit, rapit, trahit, efficitque præclarè,  
ut omnes, qui ipsius insistant vestigijs vera se-  
quantur, falsa declinent, & in nullum errorem  
prolabantur, ut judicat dissertè Philosophus: *Ve-  
rùm ingenium, & indoles in eo est, ut possis verùm  
rectè sequi, & declinare falsum, quod quidem hijs,  
quibus acumen ingenij, & indolem natura largita  
est præclarè efficere possunt.* (13)

Hæc

(10)  
Proteroda. apud  
polian. verb. Discip

(11)  
August. lib. 32  
Conf. cap. 11.

(12)  
Ovid. de art. amat.  
eleg. 7.

(13)  
Phil. lib. 8. topic.  
cap. 5.

(3)  
Plin. Citat. à No-  
varin.

(4)  
Casiod. Epist. 6.

(5)  
Otho. Ene.

(6)  
Ezeq. cap. 27.

(7)  
Jon. Apocal. 22.

(8)  
Petrus Blesens. cap.  
6. de Ami.

(9)  
Sine. Epist. 39.

Hæc omnia, & eorum quodlibet, fuso licet calamo protracta laudibus omnibus erant, me hercle prosequenda, sed quæ inter omnia principatum tenet *Charitas*. Fortius arripit, hæc est enim, quæ operis doctrinam facit maximè commendabilem; nam ut ait Justinianus: *Effundere utique doctrinam, effundere Charitatem.* (14) Hæc etiam est inter ejus egregias dotes omnibus notissima, tum à Misericordis, tum ab infirmis concinnata, hæc te Medicum proclamat, hæc Doctorem te erigit, nam si ut agebat Marsilius: *Utitur hæc facultas erga homines charitate.* (15) Tua ergo, cum circa innopes sit tam benefica, non potest non te emeritum ex justitia concelebrare.

Athenis, teste Ibone (16) statuum amorem crexerunt, cæteris ut scientijs, artibusque propitius Amor præsidet: si enim Athenienses amorem statuum erigere non dubitarunt, potiori jure ob charitatem, & Amorem, quo Ægenos Cæsar-Augustanæ Urbis complecteris, effigies plurimas tibi dicere tenebamur: sæpè enim sæpius infirmis *recipe* confers salutis, *recipe* largiris liberalitatis; quin præcedat, aut sequatur *recipe* gratitudinis.

Aptissimè possem tuæ charitati vindicare illud præstantissimum Encomium, quod de Christo Domino cecinit Pegasus Vates: *Pauper, & inops laudabunt nomen tuum.* (17) *Pauper*, quia sedulo visitans ductus amore erga illum uberes diffundis Eleemosinas, illum misericordis sublevando: *Inops*, quia illum verbis dulcibus consolaris, & opem ipsi præstare non cessas, Thesuros, & gazas uberrimas illi sublevando impertiris, verum quid mirum? Tuum enim Cor flagrantissimo amo-

amoris impetu agitantem, solum ibi conquiescit. Quero cur non dixit tantum: *Pauper laudabit te?* Cur non *inops laudabit te?* Cur non *Ægenus, & Pauper*, ut alio in loco ipsos simul adducit? *Beatus qui intelligit super Ægenum, & Pauperem.* (18) Quare etiam non *Dives, & Pauper*, ut Psalmo habetur 48. *Convenerunt simul in unum Dives, & Pauper.* (19) Proculdubio, ut diversam subveniendi, sive ferendi opem rationem explicet, tuamque forte, ut liquido patefaciat erga omnes ardentem charitatem. *Pauper* siquidem nuncupatur, cui aliquid suppetit adjutorij. *Inops* autem, qui nullius opis est particeps, sive qui omni prorsus est destitutus adjumento; idem igitur est *Inops* ac sine ope. (20) Illi sunt sanè *Pauperes*, qui se se jubant Eleemosinam contendendo, & ostiatim mendicando: isti verò sunt verè *Ægentes*, sanèque infirmi, qui in lectulo abiecti, nullis viribus suffulti, nec facultatem quidem habent efflagitandi: cumque tua præstantissima charitas, nunc benignè visitans, nunc affatim subveniens, utrosque simul complectatur; ideo alter, & alter *Pauper scilicet, & inops laudabunt te.*

Ast quibus Encomijs te afficient? Marmoratis utique laudibus tuum nomen mandabunt æternitati. Hæc, inquam, charitas, qua sanis, non secus ac infirmis, in necessitatibus privatis auxilium confers jucundissimum, non hijs coarctatur angustijs, quinimo fufius dilatatur, latius amplificatur, quæ quidem, ut pote inflammata non solum est contenta faciendo, sed illustrando, qua propter orbem litterarium adauget, simulque illustrat, sed quonam pacto? Spiritum Sanctum ausculta: *Non ad hoc faciunt opera tua, ut laudentur;*

(14)  
Justin. de instit. &  
regim. Prælat.

(15)  
Marsil. de novit.  
Medic. fol. 615.

(16)  
Ibon. fol. 606.

(17)  
David. Psal. 48.

(18)  
David. Psal. 40.

(19)  
David. Psal. 48.

(20)  
Calep. verb. Inops.

*var; sed ut Deus gloriosus videtur; & ambrosius ait non videtur  
fatur, non est ambitiosa non querit, qua sua sunt.*

(21)  
Ex Paulo Epist.

(21) Edocet igitur publicè, cui publicè informandi litteris munus non incumbit: præminet magisterij Cathedra, qui Cathedram non obtinet: *Sine invidia* (quod ait Sapiencia, cap. 7.) posses ipse dicere: *Eam communico, & honestatem illius non abscondo.* (22) Frequenter igitur homines invidiæ aculeis pungentibus Puerorum more exagitantur, quia non homines, sed pueri. Est enim ex Patribus: *Puerorum vitium* (23) hic autem, quia homo, & homo charitatis spiritu repletus Ætatis puerilis nugas parvipendens, tabifico invidiæ livore minimè coinquinatur.

(22)  
Sapi. cap. 7.

(23)  
Palsim ex PP.

Plurima alia ni modestiæ tuæ obtemperarem; & brevitati consulerem ingerere possem, & agglomerare; dicam tamen cum Plinio, quod ipse olim de quodam Sapienti Architecto scripsit: *Hæc sunt obiter dicta de artifice numquam satis laudato.* (24) Et ne ingenium meum (si aliquale) in alia intentum circa hujus operis judicium distrahatur, proferam tantum, quod Enodius dicebat: *Suggerit amor, quod negat ingenium.* (25) Qua propter hoc opus ad eò ad utilitatem Medicinæ vacantium, congruens, & necessarium videtur, ut luce publica censeam dignissimum, & super aliorum opera nedum ex gratia, sed etiam ex meritò approbem, utpote Deo gratissimum; quoniam ut inquit Justinianus: *Solum Deus illud approbat opus, quod de radice intelligit assurgere charitatis.* (26) Sic sentio, salvo meliori judicio, &c. Cæsar-Augustæ die decima octava Mensis Augusti anni 1747.

(24)  
Plin. nat. lib. 36.  
cap. 5.

(25)  
Enod. in suis opp.

(26)  
S. Lauren. Justin.  
de Irst. & Pregim.  
Pralat. cap. 18.

Dr. D. Josephus Martinez.  
GEN-

**CENSURA D. D. JOSEPHI VILLALBA**  
*in Casaraugustano S. S. Cosmæ, & Damiani Collegio Collegæ; nec non, & in eadem Universitate, olim, Cathedræ Secunda Vespertina; nunc verò Primariæ Cursus Perpetui Moderatoris, Regiæ Scientiarum Hispalensis Societatis, Sodalis.*

**F**ACULTATE mihi à Perillustri D. D. Laurentio Santayana Bustillo, Regis Catholici à Consiliis; in Cæsaraugustano Civili Foro, Senatore; Regiæ Academiæ Historiæ Alumno, Comissa, libens pervolvi dissertationem Epigraphè inscriptam *Dissertatio Physico-Medica, Theorico-Practica de natura, differentiis Causis, & prognosi Pulsus cum brevi pro Tyronibus additione circa Febrem Mesenterico-Lymphaticam à D. D. Josepho Marquez S. S. Cosmæ, & Damiani Cæsaraugustani Collegii Alumno concinnatam, cujus materia, cum assiduè, & strenuè nostro in climate in praxi in propatulo sit magni apud Medicos haberi debet; nec quia hoc opusculum aliquid novi in lucem non præbeat, nec non, & quæ tractanda suscipit brevissimo sermone circumscribat, cum Authoris intentum in Tyronum mentibus perlustrandis tantummodò sistat, quæ sui ingenii acutissimæ aciei majoris ponderis, in melioris notæ Practicis, suæ tot annis continuatæ praxis felicibus roborata experimentis inventa obiiciuntur, velut in syndromen redigit, ut de hoc opere canere possem =*

*Et quæ sparguntur in alios in unum Collecta tenes;*

à publica luce averti debet; quia hic veluti in promptuario; qui Tyronum mentes à verò praxi avertunt cardine, omnes cujusque occurrentis difficultatis superantur scopuli; qua;

quapropter, & quia Author, qui nullis hucusquē litterariis  
ambitibus in lucem prodidit, in præfenti opere laboris im-  
pensam egit, eo ductus consilio, quod

*Labor omnia vincit  
improbus, & duris urgens in rebus egestas.*

Et quia à Regiis decretis nihil discors continet, dignum,  
ut prælo mandetur, existit S. S. S. S. S. Cæsaraugustæ pridie  
Kalendas Julii anni M.DCC.XLVII.

D. D. *Josephus Villalba*

IMPRIMATUR.

*Santayana.*

D. D. JOSEPHO MARQUEZ,  
ET GUTIERREZ,

Apolineæ Scientiæ Hoscensi, atque Cæsar-  
Augustano Doctore, &c. R. P. D. Antonius  
Josephus Rodriguez, Regii Cænobii de Be-  
ruela Monachus, Artium Magister, Sacrae  
Theologiæ Doctor, in Hispanica Nunciatu-  
ra Theologus, & Examiner, Regiæ Me-  
dico-Chimicæ Hispalensis Societatis Sodalis,  
atque Augustæ Medico-Matritensis Acadē-  
miæ Socius, &c. S. P. D.

**T**AMETSI multò ab hinc tempore (Dilec-  
tissime Marquez) tantam tui nominis  
famam, ingenique laudem per terrarum orbem  
disseminatam audierim, ut hoc potius verbo-  
rum blanditiis, quàm rei sinceritati prædixe-  
rim; tamèn ubi primùm tuas litteras, egregium-  
que opus excepi, quid aliquid vigilantibus cui-  
quam, aut dormienti ineptius occurrere, ad-  
unguem percallui. Hinc tuarum litterarum sup-  
plici minimè obtemperabo, nequè enim ego tua  
scripta excolere, nequè nova illis possum addere;  
præsertim ubi Opusculum in media scientiæ, &  
doctri-

*doctrina luce versatur, nedumque docet, verum & delectat, & movet; siquidem universa medendi ars coarctata videtur brevi Opusculo, cui nihil potest addi non superfluum, nec detrahi non necessarium. In prima Opusculi Dissertatione ita methodicè, sapienterque de Pulsibus scripsisti, ut nihil amplius desiderari possit in secunda ita abundè, acutè, & perspicuè omnia ad Febrem mesenterico-lymphaticam spectantia pertractasti, ut omnes admirationis ictu merito percutiantur: ita tandem arctasti, & omnia simul explicuisti, ut nec tedium prolixitas, nec turbationem brevitatis movere possit; maximoque rationis ductu poterat inde hoc Opusculum Perspicuitatis compendium appellari. Quapropter, omnibus ritè perspectis, propria ingenuitate confiteor, duas equidem dissertationes optimam Theoricæ, & Practicæ methodum servare; proculdubio enim energica eruditione, auctoritatumque fulcro nituntur. Unde (ut spero) acutissimi ingenii, meliorisque litteratura candidati nomen consequeris: quandoquidem simile ad opusculum conficiendum, omnia dicta simpliciter necessaria censentur. Vale pridie idus Junii anni M.DCC.XL.VII.*

LEC-

## LECTORI BENEVOLO.

**N**ON præcisè ad Discipulorum precès; quia vulgaris cantilena; non ad Amicorum nutus, quia turpis adulatio; non auri cupidus, quia rudis laurea; non laudis avidus, quia levis aura, ad hanc descriptionem elaborandam omnem curam converti, & calamum apprehendi. Hæc dixerim (candide Lector) non tam ut justam censuram excusationibus præoccupare videar, quàm ut tuam benevolentiam simplici confessione merear comparare.

Innata igitur omnibus cupido, & amor cuique honesto præsertim viro, à natura datus, ut bono nomine protegat, vel contegat potius quidquid non ita bonum in se ipso comperiar: is, inquam, unus impulit me, ut totis viribus contenderem, toto animo anhelarem ingressum in nunquam satis laudatam, sed colendam semper, tær, & amplius illustrem Acadèmiæ Medico-Matritensem, ut Acadèmiici nomine Medici inscitiam, quam sentio, & iterum sentio, & doleo, quam fit in me maxima, protegerem. Cumque ad generales Acadèmiæ leges

pri

privatus animi motus accederet, cordis, & arteriarum motus explicandos prævia de more dissertatione suscepi. Mirabere forsam (Lector amantissime) quod meæ conscius tenuitatis tam arduam provinciam, ipsis Medicinæ Imperatoribus inaccessam, susceperim; omnis tamen audaciæ crimine una me proficiendi cupido, ut spero, purgabit: ea enim in hanc me regionem induxit, & in ea me tenet, *Et tuis me destinatis.*

Nescio etenim, quod tam inexorabile scriptorum fatum Lectorum animos flectit, & versat, ut vix illorum opera publica gaudent luce, cum istorum, vel Amicorum etiam acies censuras cogantur sustinere: scitè in rem hanc S. Clemens Alexandrinus lib. 1. sem. *Nullam existimo elucubrationem adeò feliciter, & fortunatè procedere, ut nullus contradicat;* vel enim scripta incidunt in manus stultorum, quorum infinitus est numerus; vel in sapientum trutinam, & iudicium? Si in stultorum manus, turpis calamitas! Si in iudicium sapientum metuenda felicitas! Hi enim sicut rem feliciter, quàm ipsimet Authores, intelligunt, sic etiam

seve-

severius judicabunt. Neque verò me unum opprimat timor hic, & tristitia, sed Tulium eloquentiæ Patrem hæc olim cura sollicitabat, cum dixit: *Quod scribimus, nec docti legant, nec indocti: alteri nihil intelligunt: alteri plus forsàn, quàm de nobis nos ipsi.*

Enim verò cum fieri omninò non possit, ut oculos, manusque prætervolent quæcumque Typis committantur scripta, mallem meherclè, ut hæc qualiscumque dissertatio in sapientum iudicium deferatur, priusquàm incidat in stultorum manus; docti enim quot quot sunt, quot quo sunt, prudentes etiam sint, necesse est, siquidem teste D. Ambrosio, *cum omnibus bonis consortium habet prudentia;* & quemadmodum imprudentis est velle reprehendere quæ non potest, ita etiam prudentis est, quæ potest nolle reprehendere, ut cecinit Lucanus

*Quid prudentis opus? Cum possit nolle nocere:  
Quàm proprium stulti non posse, & velle nocere.*

Verùm si usque adeò sum infelix, ut incidat in imprudentum manus, & linguas impudentum;



tum; sequar̄ ne S. Gr̄gorii Nacianceni Consi-  
lium: *Improborum linguis occurrendum est, &*  
M. Basilii: *Ad calumnias tacendum non est, ne*  
*quis modestiam in conscientiam ducat?* Tacebo  
tam̄n, & silentii fidem spondeo, neque enim  
is sum, ut patient̄r ferre non debeam, quæ sa-  
pientissimi quique omni tempestate pertule-  
runt; præsertim cum timere justissimè possim  
quæ monet Heredia in proæmio: *Certè adhuc*  
*silendum, potiùs patient̄r, quàm contumelia*  
*rependere, ne cum ultionem posco, crimen idem*  
*incurram, aut cum iustum vindicem me con-*  
*sultum fore præsummam, præcipientem me reum*  
*reperiar; sed aquant improbi beneficam lingua-*  
*rum aciem; erigant spicula, ut scorpii; denti-*  
*bus, ut rabida fera, in se se concrepent.* Qua-  
propter etiam si opus fuerit loqui, tacere cons-  
tituo, suam obtrectatoribus maledicentiam in  
delicti pœnam relinquens; in illorum rabiem,  
& bonorum solatium scribente Apoll. lib. 5.  
Ep. 8. *Loqui benè nesciunt, & morbo loquun-*  
*tur potiùs, quàm iudicio: displicere enim ma-*  
*lis bonorum laus est; nam quæ improborum pro-*  
*bra equè ut præconia bonorum immortalia*  
*manent.*

Hanc

Hanc itaque immaturam summè, & infor-  
mem Dissertationem de Pulsus essentia diffe-  
rentiis causis, signis, & prognosi, cum brevi  
notitia de Febre mesenterico-lymphatica offero  
sapientiæ tuæ (Lector benevole) ut quo polles  
iudicio illam examines, & qua viges doctrina  
illam perficias; si quid boni compereris, noli  
mihi tribuas, sed tot Magistris, & Majoribus  
nostris, qui sua scripta in nostram, & commu-  
nem utilitatem posteritati reliquerunt; quid-  
quid mali verò, quod certè est plurimum, in-  
veneris, id unum meum est, mihiq̄ debetur:  
tamen si rigidus censor est, te non indigeo, si  
pius Magister, veneror; & si prudent̄r  
corripis, adsum, & interim vale,  
vive, & jube.



is

HÆC

HAEC NOTABILIORA  
menda, aliàque leviora, Excussoris  
incuriâ sanè commissa, & ob sum-  
mum Authoris in rebus ge-  
rendis onus non correcta,  
sic emacula.

**P**Ag. 16. lin. 12. oscilentur, leg. *oscillantur*. p. 20. l. 2.  
appertè, leg. *apertè*. p. 37. l. 4. decurato, leg. *desurtato*.  
p. 38. l. 20. & p. 73. l. 14. dilationibus, leg. *dilatationibus*.  
p. 39. l. 12. effecti, leg. *affecti*. p. 45. l. 21. & p. 92. l. 4.  
synthoma, leg. *symptoma*. p. 53. l. 23. spiritum, leg. *spirituum*.  
p. 55. l. 1. sanguinemque, leg. *sanguineamque*. p. 68. l. 16.  
regiditate, leg. *rigiditate*. p. 71. l. 4. adstrebam, leg. *astrue-*  
*bam*. p. 74. l. 9. indigandæ, leg. *indagandæ*. p. 75. l. 24.  
irruit, leg. *irruit*. p. 80. l. 17. ruborum, leg. *ruborem*.  
p. 84. l. 2. mollitiæ, leg. *mollitie*. p. 87. l. 14. organosve,  
leg. *orgasmòve*. p. 116. l. 12. exhibere, leg. *exhibere*. p. 120.  
l. 21. blugosa, leg. *buglosa*, & l. 22. faxafras, leg. *fassafras*.  
p. 121. l. 20. evetare, leg. *bebetare*. p. 130. l. 19. tublevi,  
leg. *sub levi*. p. 150. l. 3. redant, leg. *redeant*. p. 157. l.  
15. ralatis, leg. *relatis*.

D. PETRI FRANCISCI DE LAFIGUERA,  
in Almâ Cæsaraugustæ Universitate Philosophiæ Ba-  
chalaurei, utriusque Juris Doctoris, pro obtinendis  
Cathedris Palestriæ, &c. in singularis de Pul-  
sibus Dissertationis gratiam

EPIGRAMMA.

**E**X Opere hoc Pulsus penitus cognoscitur omnis;  
Et simul ex Pulsu noscitur istud Opus.  
Huic Pulsus Calidus, Celer, & Metitus, Acutus,  
Equalis, Magnus, Plenus, & Altus inest.  
Est Calidus: Quidni? Nonne & percallidus Author?  
Ingenium scriptis indicat ergo virens,  
Pulsat Metito: Celer omnibus ordine grato:  
Ille Operis methodum monstrat, & iste decus.  
Personat Equalis, rotat æquè singula pulsans;  
Semper mirificè, semper ubique bene.  
Apparet Magnus, Plenus, Subtilis; & isti  
Artem significant, indicat ille manum,  
It quoque sic Altus pulsans, ut in æthere vivat:  
Sublimis calamus non minus alta petit.  
Præterea nusquam Turbatus languet, & Ager;  
Quippè styli placidâ sæpè quiete sonat.  
Ergo sic Pulsus depingitur omnis; ut illo  
Perpetuò validum vivere possit Opus.  
Quidni, si inversâ Pulsus ratione videtur,  
Corporibus scriptus, vitæ inesse Libro?

DON JOANNES AMBRÒS IN CÆSAR-AUGUSTANO Sophiæ Lycæo Philosophiæ, & Apollineæ Scientiæ Baccalaureus, pro obtinendis Artium Cathedris Palestrita, &c. in perpetuum gratitudinis monumentum D. D. Josepho Marquez, & Gutierrez, suo equidem dilectissimo Præceptori, pro duabus de *Pulsibus*, & *Febre Mesenterico-Lymphaticâ* Dissertationibus offert, dedicat, sequens concinit

### EPIGRAMMA.

**F**AX veluti radians testis sua lumina confert;  
Quin valeat solita luce carere sua;  
Pœonia Marquez doctrina lumina prestat  
De Pulsu scribens, horribilique Febre:  
Quin valeat minui Medicis subtilia vester  
Dulcisonus calamus scribere plura potest.  
De Febribus, Pulsuque loquens quamplurima nobis  
Ignota ingenio detegis ipse tuo.  
Prisca, salis renovas dulci condita sapore,  
Nobilitas, ornas, clarificata refert.  
Difficilem planè tremulis de Pulsibus unam  
Materiam, facilem mox tua scripta parant.  
De lenta Febri perfectè scribis, adaptas  
Tractatum solum quo tibi crescit honor.  
Hoc Opus ecce nihil vanum tibi monstrat Amice  
Lector, si Medicos plurima (crede) monet.  
Discipulis documen Tractatum littera quæque  
Prestat, suppeditat qualibet alta nimis.  
Plurima si cecini fuccatis libera verbis  
Ambròs Discipulus, plura silebo, vale.

DISSER.

# DISSERTATIO

## PHYSICO-MEDICA, THEORICO- practica de natura, differentiis, causis, & prognosi Pulsus.

# PROLUSSIO.

**Q**Uamquàm ità gravissimis rerum susceptarum oneribus premar (Amplissimi Alumni) ut nulla equidem hora à curis quiescere liceat, & Pulsus tractatio plurimum difficultatis habeat, proindèque & studii, & industriæ multum adhibendum sit; nihilominus tantâ, incredibilique vestri progressus cupiditate flagro, ut nec temporis penuria, nec intricata operis difficultas, liberum à vestri placiti solutione dimittant. Idcirco vestris precibus potiùs annuens, quàm expectationem explere potis, calamum, animique vires, quod poterò adiiciam, ut Pulsus naturam, differentias, causas, prognosimque edisseram; talitèr tamèn provectâ speculatione, ut nec prolixus sim in disputando, nec deficiens in iis omnibus, quæ ad praxim medicam utilia fore credantur.

Nihil equidem utilius, præstantiusque jatrias professori esse potest prædicti objecti speculatione; quando-

quandoquidè Pulsus nedùm cordis, arteriarumque tonum, verùm & spirituum, liquidorumque statum patefacit, & fermentationis incrementa, ac decrementa pandit; fluentis copiam, texturam, situm, momentumque exprimit; temperamentorum, ætatum, sexuumque discrimina designat; corporis, animique pathemata, somnum, vigiliam, evacuationumque tolerantiam indicat; latentes detegit recessus, criticosque naturæ motus prænunciat. Quid ultra? Brevi dicam: naturæ antè, in, & post pugnam, cum morbo statum, indèque illius progressus, an permittendi, juvandi, aut cohibendi sint, Medico palàm offert; ut hinc admirationis ictu rapiaris, dùm Celsum, aliosque, pulsum tanquàm infidum signum irridentes, intueris; quandoquidè fidelis, & assidua observatio pulsum tanquàm verùm naturæ idioma cognoscit, medio ipso clam cum Medico alloquentis, ipsiusque momentum, angorem, futuri que tentamina ostendentis, detegentis, præmonentis.

Nec amoris quiescit fervor (Amantissimi Alumni) nec excusationem è Pauli Manucii doctrina lib. elegant. sequutam amplector: *Ità sum occupatus excipiendis his, qui ad me officii adducunt, ut otii nihil supersit ad studia litterarum tractanda*: quandoquidè quiescendæ tempore, ut summa animi tranquillitate fruamini, labi-ri incumbo; tanta enim est vestræ utilitatis cupiditas

ut,

ut, quamvis insignes Medicinæ Proceres circa Febrem Mesenterico-Lymphaticam conscripserint, cum hi magis doctissimis viris ingenii elasticitatem ostenderint, quàm egenis Scholasticis suavis perceptionis doctrinam contulerint, hanc secundam Dissertationem de Febre Mesenterica cum Catarrhali complicata libentè offeram. Non igitur aliquid novi producendi animo calamum arripui, sed ne tot systematibus forsan non benè captis à vera, solidaque Medicina aberretis; hac namquè de causa litteraria certamina, mentis confusio- nem potiùs, quàm rationis scopum vobis præferentia, penitè effugiam. Eadem prædicta reflexio Petri Basco animum suscitavit, ut regionis mediæ morborum dissertationes prælo mandaret, siquidem in præmio sequentia protulit: *Tot sunt insignes Medicina Proceres, qui hoc argumentum ante me sunt prosequuti, ut ejus in lucem edendi me puderet, nisi consilium meum potiùs esset controversa componere, quàm morborum regionis mediæ dignotionem, & curationem cum magna remediorum silva proponere.*

Ex inversa systematum intelligentia evenit, ut in curatione Febris mesenterico-lymphaticæ aliquæ the- orico practicæ controversiæ emergant; aliqui enim hu- jus Febris curationem auxiliis digestivis, levibusque purgantibus assequendam fore existimant: alii diluentibus, dulcificantibus, temperatisque sudorificis, fan-  
gui-

guinis missionis nomen adhuc detestantes : alii denique non bene captis principiis enixi , è quolibet sanguinis tumultu, spirituumve orgasmo sibi plenitudinem effingentes , in evacuationis cruentæ deliberatione rationis limites transgrediuntur : cumque in hujus Febris progressu tanta symptomatum varietas emergat , hinc evenit , ut dubitandi ratio frequenter vobis obiiciatur ; atque hac de causa , quæ in viginti & quinque annorum praxi acquisivi , ingenuè scribo , ut hinc vestri ingenii acies selectiora exquirens feliciter illorum curationem perficiat.



CA-



## CAPUT PRIMUM.

*PULSUS DEFINITIO, ANTIQUITUS  
admissa, adducitur, &  
impugnatur.*



**P**ULSUS apud Gal. 4. de differ. pul. cap. 2. est : *Actio præcipue Cordis, deinde arteriarum, quæ distensione, & contractione morventur à facultate vitali, quo caloris nativi mediocritas retineatur, generentur autem in Cerebro spiritus animales.* Et licet hic duo motus tantum commemorentur, inter ipsos duplex quies necessario ponitur, quarum una (externa dicta) post distensionem contingit, antequam contractio fiat; altera (interna nuncupata) post contractionem datur, antequam distensio celebretur; cum enim prædicti motus contrarii sint, pro eorum alternatione quietes intercedere est necesse. Distensio tam in corde, quam in

A

arte.

arteriis, *diastole* nuncupatur; *contractio systole* dicitur; utraque autem quies *perisystole* appellatur.

Bonitatem hujus definitionis ex eò Antiquitas protegit, quòd per quatuòr causarum genera tradatur, *materialem* scilicèt, *formalem*, *efficientem*, & *finalem*. *Formalis causa* stat in hoc, quòd pulsus sit actio composita duplici motu, quò differt à quacumque alia actione locali simplici. *Materialis ratio* in eo sistit, quòd cor, & arteriæ sint ea, in quibus actio recipitur. *Efficientis rationem* vitalis facultas obtinet. *Finalis* deniquè nititur in conservatione mediocritatis caloris nativi in corde, & generatione Spirituum animalium in cerebro.

Verùm hæc definitio plurimis titulis deferenda est. Et in primis, quia ad causam efficientem assignandam, confugit ad facultatem vitalem, quæ quid occultum est, & inexplicabile; dicere enim pulsus fieri à facultate vitali, idem est, ac asserere, fieri à corde, habente vim, virtutem, seu potestatem ad pulsus efficiendum; quænam autem sit illa vis, virtus, seu potestas, sub tenebris latet. Præterquam quòd interroganti, quâ vi, virtute, seu potestate fiat pulsus à corde, respondere, fieri à facultate vitali, est inter interrogatum, & responsum, nugæ agere.

Secundò, quia facultas vitalis non est quid corporeum, & consequentèr nequit aliud corpus movere, impulsus namquè, inter movens, & motum

inter-

intercedens, non exequitur nisi mediò contactu, qui solum inter corpora est admissibilis; tangere enim, & tangi, nisi corpus nulla res potest, ut inquit Lucretius lib. 1.

Tertiò, quia cor hominis extractum aliquandiu pulsat, quin tunc facultas reperiatur; quòd si dicas, motum illum ab spiritibus, adhuc in corde evulso latitantibus, provenire, huc repono, si spiritus immediatè cor tunc movere possunt, ad quid antecedentèr opus est prædicta facultas?

His favet Fridericus Hoffman. tom. 1. lib. 1. sect. 1. cap. 3. dicens: *Natura quidem ab Aristotele principium motus, & quietis, adeoque etiam vite, & mortis causa habetur, sed tamèn hoc ipso nihil dicitur: nam cum principium Philosophis idem sit, ac causa, ideo sequitur, ut quandò naturam causam motuum vitalium systoles, ac diastoles agnoscimus, nihil aliud dicamus, quàm naturam, quæ causa motus diffinitur, esse causam motuum vitalium. Sicuti verò in omni demonstratione, & seriâ veritatis indagine, petitiones principii, lusus, fictiones, ambiguae opinioniones, & inania nomina procùl abesse debent, ità tanto magis id in ea doctrina, quæ de vita, ac sanitate hominis agit, necessarium erit.*

Quæ omnia altè meditans venerandus Præceptor meus DD. Michael Borbon in flumine vit. dissert. 2. part. 2. cap. 5. fol. 196. sic lepidè prædictam in facultate

A 2

ta-

4  
tatem irrui: Merito re vera tanquam obscuram, & inexplicabilem causam ab exquisi-  
tione physica relegat; utpotè ex nubila illius nomenclatura nihil perspicuum  
emergere potest ad inventionem, cognitionemque mo-  
tuum in machina corporea, quale est corpus humanum,  
indèque nihil pariter emolumenti pro recessu in illis pro-  
fligando cognitioni practica offerri potest.

Deserenda etiam est adducta definitio, quoniam  
causam finalem partialem pulsus assignat conservatio-  
nem mediocritatis caloris nativi in corde, assequen-  
dam vi refrigerationis, inductæ ab aeris frigiditate,  
ad cor per inspirationem delati, & media fuliginum  
expulsione, expirationis ope exepta.

Primò, quia aer, media inspiratione per tracheam  
admissus, in probabilissima opinione, nec vesiculas pul-  
monis transgreditur; tantum abest, ut ad cor pervadat.

Secundò, quia in opinione, aeris transgressum  
per pulmonis vesiculas admittente, progressus aeris  
mixti, & conquisati cum lympa, illius tunicas, &  
membranas madefaciente, tantum admittitur; ita ut  
cum illa jam mixtus ob novæ figuræ acquisitionem  
capax sit credendus, ut transgrediatur, quo modo  
jam actu calidus concedendus est, sicque licet ad cor  
usquè perveniat, incapax jam est illud refrigerare.

Tertiò, quia sub quacumque opinione nequit aer  
inspiratus ad cor accedere, nisi sociatus sanguine, ad  
illud per venam pulmonalem conducto, qui sanè actu

cali-

7  
calidus negari non potest. Quartò tandem, quia  
apud Antiquos aer calidus, & humidus statuitur, sic-  
que prætenso fini improporionatus.

Quâ autem parte creditur, conservacionem  
mediocritatis caloris nativi deberi fuliginum ex-  
pulsioni, medio aere attracto exepta, impug-  
natur primò; etenim cum major fuliginum copia  
in partibus infimi ventris, quam in corde, debeat  
concedi, non posset illarum partium calor non suffo-  
cari absque simili, imò velociori fuliginum expulsio-  
ne; iisdem enim mediis natura uti deberet, cum  
idem finis urgeat, & tamèn ejusmodi expulsio in præ-  
dictis partibus minimè conceditur.

Secundò, quia media fuliginum expulsi-  
one vividior, & vegetior excitari debet calor, eò quòd acce-  
dente aere, tum media fuliginum remotione, tum  
flabellationis instar majori caloris ad pabulum appli-  
catione, accensionis caloris impedimenta auferuntur;  
undè sequeretur apponi à natura, fini ab ipsa intento  
assequendo, contraria.

Secunda pariter causa finalis partialis pulsus,  
nempè generatio spirituum animalium in cerebro,  
impugnatur primò, quia aer non est proportionata  
materia ad ipsorum generationem; siquidem juxta  
communem opinionem Malpighii, & celeberrimorum  
Anatomicorum, nihil aliud sunt spiritus animales  
præter volatiliores partes sanguinis arterialis, in  
glan-

glandulis substantiæ corticalis Cerebri filtratas; taliter, ut spirituum animalium generatio sit ipsa prædictarum partium filtratio.

Secundò, quia si quis ob nimium laborem ita fatiscat, ut lassitudine comprehensus nec crura, nec brachia movere possit, summàtque tunc haustum vini, vel alterius rei spirituosæ, illicò veluti reviviscit, & motus, quos antea non poterat, exercet; quod nequit evenire, nisi quia media re spirituosæ assumpta spiritus animales, quorum defectus ad nimium laborem sequutus fuerat, generantur, & restaurantur; cum tamèn prædicto modo fatigatus tùm medio pulsu, tùm media respiratione, majori frequentia deberet aerem attrahere, & per consequens copiosiores spiritus animales generare. His ità, prædicta pulsus definitio, ab Antiquis defensata, in integrum impugnata manet.

## CAPUT II.

### VERIOR PULSUS DEFINITIO STABILITUR.

**E**X suprà dictis sic veriùs definiendus pulsus videtur, vel potiùs describendus: *Motus tonicus Cordis, & arteriarum, compositus ex diastole,*

7  
*tole, & systole, præ propria harum partium structura, ab æthere efficienter excitata, mechanicè exequutus, ad motum sanguinis progressivum excitandum, & perennandum, indèque & sequutas utilitates.*

Dicitur *motus tonicus*, sive localis, quia in pulsu verificatur, Cor, & arterias diversas ubicationes acquirere, spatium inter ipsas medium percurrendo; hinc pulsus à motibus alterationis, augmentationis, &c. distinguitur. *Cordis, & arteriarum*, ut instrumenta, quibus prædictus motus elicitur, manifestentur. *Compositus ex diastole, & systole*, quia non est simplex motus, ut qui ad unicum, & determinatum ubi procedit, sed ex contrariis motibus adintegratus, *diastole*, nempe dilatatione, per quam Cor, & arteriæ, à centro ad circumferentiam feruntur, externum ubi acquirentes; & *systole*, id est compressione, per quam prædictæ partes à circumferentia ad centrum progrediuntur, externum ubi parantes.

*Præ propria harum partium structura*; prædictæ etenim partes, quæ instrumenta nuncupantur, licet tamplurimis fibrarum differentiis præditæ sint, tamèn duæ præcipuè inserviunt pro memorato motu explendo: harum tamèn operationis modus infra explanabitur.

*Ab æthere efficienter excitata*, ut efficiens pulsus causa ostendatur. Per æther autèm intelligitur substantia fluida tenuissima, quæ *spiritus mundi* nuncupatur;



8  
tur; hæc enim spatium, quod à coelo usque ad nos  
excurrit, replet, & principium universale corporum  
naturalium creditur, siquidem, in atomos materiales  
se insinuans, corporibus vires ad pensum illius copiae,  
aut inopiae, impertitur; de quo postea. *Mechanicè*  
*exequetus*, hic enim motus medià præcisè predicta-  
rum partium mechanica compositione, sive structura  
exequitur, ut ex dicendis infra constabit.

*Ad motum sanguinis progressivum, &c.* quibus  
verbis finalis pulsus causa, scilicet sanguinis progre-  
ssivum motum promovere, & continuare, ostenditur;  
media namquè diastole, sive dilatatione, Cor recipit  
sanguinem ex auricula sinistra, & vena pulmonali;  
media autem systole, sive compressione, sanguinem  
receptum in arteriam magnam, sive aortam impellit;  
cumque hi duo motus perenni successu contingant, &  
necessarium sit, ut sanguis, qui per compressionem in  
aortam pellitur, vim faciat sanguini, in illa anteceden-  
tè jam existenti, ideò vel debet deficere pulsus in  
Corde, vel debet necessariò concedi continuus sangui-  
nis progressus in corpore.

Plures etiam utilitates ex ipso emergunt: Prima  
autem ex præcipuis est *assequitio conversionis chyli in*  
*sanguinem.* 2. *restauratio spirituositatis sanguinis, in*  
*cursu deperdita, per novos illius ad Cor accessus ad-*  
*quisita.* 3. *liquidorum à putredine, & coagulatione,*

pre-

9  
*preservatio.* Aliæ quamplurimæ extant utilitates apud  
Præcificos videndæ, ut *nutritionis assequitio; superflui-*  
*orum sequestratio; &c.*

Circa causam pulsus efficientem plures doctissi-  
morum virorum opiniones se offerunt, quas (quia in  
undoso discordiarum mari jactantur) præ oculis habe-  
re, consonum rationi videtur; siquidem ex earum con-  
ciliatione uniuscujusque causæ operandi modus faci-  
lius à Tyronibus percipietur.

Franciscus Bayle 2. de animalium corpore, lib. 1. de  
illius partibus disp. 6. art. 4. de motu cordis, & san-  
guinis, adstruit: *Cordis dilatationem fieri ab impulsu*  
*sanguinis, ex auriculis media contractione in cordis*  
*ventriculos impulsu; cordis verò constrictionem fieri*  
*media illius fibrarum decurtatione, sequuta in his ad sti-*  
*mulum, ab influxu spirituum animalium inductum.*

Alphonfus Borelus cap. 6. de causis motuum cor-  
dis efficientibus, prop. 77. ait: *Immediatam causam*  
*cordis motivam non differri ab ea, que musculos ar-*  
*tuum movet, impossibileque esse, Cor inflari, & move-*  
*ri ab incorporea facultate, vel ab spiritibus, vel à san-*  
*guine violentè impulsu.*

Cartesius de descriptione Corporis humani, om-  
niumque ejus functionibus, notatione 18. adstruit:  
*Cordis dilatationem fieri ab intumescencia, sive effer-*  
*vescentia sanguinis in ventriculis illius, excitata ab ig-*  
*ne vitali, in illis à natura implantato; cordis tamen*

B

com-

*compressionem ab ipsius sanguinis detumescencia fieri.*

Harvæus apud Louverum tom. 6. Physicæ part. 3. c. 2. fol. 280. circa causam pulsus efficientem adscribit: *Non ab ebullitione, aut sanguinis fermentatione, sed ab impulsu sanguinis, ad Cor ex auriculis immissi, dilatationem fieri; contractionem verò ( utpotè musculi ) propriâ ipsius naturæ, & structuræ opè effici; cui asserit Louverus etiam totis viribus adscribit.*

Franciscus Zypeus med. fund. physico-anatomica, art. 3. de motu cordis, pag. 140. asserit: *Causam motus cordis efficientem stare partim in sanguinis copia, partim in illius fermentatione, & rarefactione à materia subtili cordi insidente, quibus latera cordis expanduntur; cordis verò systolem in spiritus animalis influxu consistere.*

Thomas Campanela lib. med. cap. 3. art. 2. part. 1. fol. adstruit: *Motum cordis fieri à vacui insequitione, & sanguinis, & aeris influxu, tamquam à causa juvante, non per se movente, sed ab spiritu per se movente instrumenta aptè sibi fabricata.*

Petrus Gasendo lib. 5. physic. sec. 3. cap. 3. pag. 313. de nutritione, pulsu, & respiratione animalium, subscribit opinioni asserentium, *in corde nullam ipsius actionem sine calore exequi, sed ultra calorem esse in corde pulsificam vim, ex ipsius conformatione ità dependentem, ut machinalis authomatis instar, itus, reditusque suos semper habeat; sicque distenditur, &*

*contrahitur, ut sanguinem excipiat, & emittat, instar solis.*

Actio hæc primaria non ex naturæ intentione, sed veluti ex accidenti elicitur, quæ omnia ex sequentibus obvia fient: Etenim cordis fibræ in sinistro sinu ita à basi in mucronem directè se insinuant, ut arguant Cor factum esse, ut è mucrone in basim attractio fiat, & è converso ex basi in mucronem relaxatio; hanc enim actionem passivè tantum exercet, & instar utris distendi, collabique ex effluxu, & influxu posse rationi consonum videtur; nullus enim est sanguis ex cujus effervescencia, aut spiritu dilatatio, & compressio fiat; Cor etenim Ciprini aperti extractum, atque denudatum, absque affluxu, & sanguinis influxu, dilatatur, compressitur, consequenterque pulsatur.

Ingeniosissimus meus Præceptor, hujus sæculi celeberrimus Anatomicus in suo flum. vit. disert. 2. part. 2. cap. 5. fol. 202. adstruit: *Causam efficientem prædictorum motuum cordis esse substantiam quandam ætheram, intimè se insinuantem in atomos materiales, corporibus vires ad pensum illius copię, aut inopię tribuentem.*

Postquam prædictas opiniones observaverim, in aliquas irruere, cuilibet rationi consonum esse videbitur; absit tamen præ mei ingenii tenuitate, siquidem veneratione magis, quam impugnatione, digniores eas omnes existimo: omnes etenim viri tam celebres

in puncto tam dubio, tam inexpugnabili, tamque difficultatibus involuto, veritatem indagantes, juxta sua principia jam physicis, jam mathematicis demonstrationibus rem ad amussim enuncleari conati fuere; quam obrem, si in re tam ardua æquali probabilitate megeram, gloriosus egrediar.

His ita præjactis: antequam summa cum attentione prædictis ex sententiis instructionem accepisse fatear, non possum non insinuare, uniuscujusque causæ, efficientis scilicet, materialis, formalis, & finalis, diversissimos esse operandi modos, in hujus enim intelligentia totum discriminis punctum nititur; quapropter, licet hæc omnia quemlibet Physica doceat, utilitatis tamen titulo Tyronibus assequendæ, notare cogor, ad motum cordis efficiendum, plurima, vicem causæ gerentia, concurrere.

Alia enim obtinent vicem causæ *per se*; alia vicem causæ *per accidens*; alia causæ *primariæ*; alia causæ *juvantis*; alia causæ *veræ*, à qua effectus præcipuè emergunt; cæterum, ne harum omnium causarum implexa, & gravissima Tyronibus explanatio videatur, tres causarum differentias tantùm adstruo, nempe causam instrumentalem, causam coadjuvantem, & causam efficientem.

Instrumentalis causæ quiditatem habent Cor, & fibræ, quibus ipsum adintegratur; & licet hæc variæ sint, duabus præcipuè actio debetur, obliquis nempe,

sive spiralibus, rectisque, sive longitudinalibus: obliquæ enim, à causa efficienti vellicatæ, coarctantur, decurtanturque, & ab hac fibrarum contractione tota cordis peripheria ad centrum contrahitur, hac enim mechanica lege constructio, sive systoles efformatur. Dùm verò prædictæ fibræ susceptæ impræssionis terminum adquisiverint, coguntur quiescere, tuncque ipsi contrariæ, longitudinales nempe, sive rectæ, coguntur impetum suum exprimere, ipsarum extremis in medium, sive centrum adductis; quo dato, extrosus versus coactè cedunt, quare à centro in circumferentiam evocari necesse est, hincque expansio, sive dilatatio sequitur. Sic venit intelligendus Petrus Gasendus dum dicit: *In corde esse implantatam pulsificam vim, ex ipsius conformatione ita dependentem, ut machinalis automatis instar, itus, reditusque suos semper habeat.*

Pro causa coadjuvante multa se offerunt: Primo *impulsus sanguinis, cordis ventriculos ingredientis*; quod quidem sensu intelligendus Franciscus Bayle citatus adstruens: *Dilatationem fieri à sanguine, per auricularum contractionem in cordis ventriculos impulso*; contractis etenim cordis auriculis, sanguinis, antè contractionis tempus ipsis inhærentis, coacta sequitur expulsio; ad hoc autem explendum nedum ob ventriculorum laxitatem annuit spatium, verùm & mirabilis valvularum dispositio impulsioni maximè conducit.

Secundo, *spirituum animalium confluxus*; hunc

autem summoperè juvare, evincitur experientia tradita à Louvero in Philosophia vetere, & nova, pag. 285. dicente: *Ligato trunco hujus nervi (octavi paris) in ceruice statim commeatu spirituum intercepto, motus cordis fit tremulus, & palpitans, tuncque per unum, aut alterum diem canis vitam miseram agit, donec, stagnante sanguine in cordis ventriculis, expiret.*

Ex qua physico-anatomica demonstratione satis conspicuè apparet, quàm sit necessarius spirituum animalium confluxus: Atque in hoc operandi modò Thomæ Campanela, & Francisci Zypei opiniones locis, nupèr citatis, traditæ, conciliandæ veniunt.

Tertio, *pulmonum motus*; deficiente enim pulmonis motu, cordis motum debilem fieri, plurimis possem experientiis demonstrare; nam si canis, aut aliud animal stranguletur, & cum omnis jam cordis, & reliqui corporis motus interciderit, statim aer per tracheam arteriam impellatur, redit cordis, & corporis motus. Idem accidit, si aperto cadavere, aer vel in venam cavam, vel in ductum chyli ferum immittatur, Bayle tract. 2. de corpore animalium, lib. 2. sec. 1. disp. 2. art. 2. de caus. exter. ferment. sanguinis, pag. 366. Consonat Thomæ Campanela opinio loco citato asserens: *Motum cordis fieri à vacui insequutione, & sanguinis, & influxu aeris tamquam à causa juvante, non per se movente.*

Verùm res ipsa jam postulat, ut prædictarum opinio-

nionum alicui subscribam; quaproptèr assero cum ingeniosissimo meo Magistro DD. Michaelè Borbon loco citato: *Causam motus cordis efficientem esse substantiam quandam aetheream, in aere volitantem, quintam elementorum essentiam.* Etenim spiritus iste tum per inspirationem, tum præ spiratu sua volatilitate intrusus, prædictas vellicando fibras, sanguinisque moleculas permeando, nedùm efficit, verùm & liquidorum, solidorumque motum perennat. Hoc insinuare voluit Franciscus Bayle loco citato per hæc verba: *Cum itaque manifestum sit, in inspiratione vasa pulmonum sanguinea dilatari, aut magis quam antea extendi, sanguinem, illis vasis contentum, rarefieri insista elasticitate, saltem quando Cor dilatatur, tuncque facilius posse aeris tenuissimas particulas per illarum membranas penetrare, & in sanguinem se insinuare, est manifestum.*

Cæterum clariùs, & propriùs se offert. Alexandri Pascoli opinio lib. 1. cap. 24. fol. 46. asserentis: *Motum sanguinis provenire ab illius aetheris motu, qui minimas ingreditur inter Carpedines minimorum, sanguinem componentium: aether est, qui per rapidissimam orbium vertiginem validè, ac celerrimè exagitatus, concitatusque, se se inter moleculas immittit, mixta fluida componentes, quas idcirco movet, exagitat, atque huc, illucque pellit, & præsertim ab interioribus, versus exteriora.*

Huic spiritui omnes ferè motus, actionesque, tribui-

bui debere, probabiliter censeo; atque ob summam ejus tenuitatem, & penetrabilitatem, proportionem cum stellarum elemento servare, credendum venit. Suffraganeum invenio Aristotelem apud Marcellinum Uberte in sua Medicina sacra; cap. 33. fol. 355. hic enim ætheris nomine significari, ait: *Cæli, syderumque substantiam, hoc est, totam syderum cæli, & stellarum compaginem, non quod ignita flagret, sed quod semper motu suo circumductili currat, & cursibus rapidissimis roretur.*

Quid ergo mirum, quod hujus ætherei spiritus ope humani corporis fibræ oscilentur, liquidaque impellant? Quandoquidem talis activitas, tantaque ejus immensitas est, nedum in animalibus, verum in vegetabilibus, ut illum vires animæ gerere, plurimi Philosophi, præsertim ex Antiquis, non immeritò crediderint; hic enim est spiritus ille, quem Deus vegetabilibus indidit, cujus auxilio, & ope vegetantia suam quiditatem obtinent; siquidem per ipsum pullulari, & germinare, creduntur.

Quamplures ex Physicis profitentur, hunc esse humidum radicale fixum, & permanens, centrum formæ, & animæ vegetantis, in quo ipsa nititur forma. Propicius se offert Joannes Fabro palad. spagiric. de congelat. veget. cap. 29. fol. 354. dicens: *Alimentum enim aqueum, terreumque, quod omnibus terræ partibus vegetantibus præstò est, non posset adeò subito,*

*Et continuo ferè motu, in longissimas, & altissimas arborum quarundam partes devehì, ni spiritu quodam tenui, æthereoque perfunderetur.*

Nullum enim agens naturale æquali immensitate, subtilitate, & volatilitate, sicut æther, gaudet; hoc enim absente, neque in vegetalibus anima suis viribus frueretur, neque in animatis anima debitâ energiâ gauderet; qua de causa à plurimis æther ens universale agnoscitur, animalia vivere, vegetalia florere, metalla metallescere faciens; universa etenim natura (Dei benedictione annuente) solis irradiatione vegetantium vivificationem, ignis calore omnium digestionem acquiritur, conservationem tamen, omniumque perfectionem ætheris ingressu, & penetratione adipiscitur.

Talis ergo est hujus spiritus in penetrando potestas, ut corporibus citra ponderis augmentationem penetrantiam largiatur: hic enim utpotè fons, & vitæ principium, in aere habitans, omnia terræ insecta vivificat, fluminum aquas fermentat, in venis sanguinem movet, & tingit: ejus tamen immensæ volucris, radiantisque substantiæ opera, brevitati studens, omitto.

Toti hucusque asserto annuit celeberrimus, parumque laudatus scrutiniorum naturæ fidelissimus indagator Joannes Joachimus Bechers in supplementis in Physic. subterr. cap. 5. fol. 613. sic proferens: *Clarum autem est, esse in natura subtile quoddam unctuosum,*

*sum, humidum, terrestre, calidum innatum, humidum radicale, spiritum rerum vitalem, & vivificantem, cujus præsentia vita, cujus absentia mors.*

Igitur, cum prædicti spiritus, sive tenuissimæ substantiæ præsentia vellicatæ fibræ, superius commemoratæ, in actum erumpant, solus æther pro causa excitante, impellente, sive efficienti debet admitti.

### CAPUT III.

*ALIQVA DUBIA PRO CLARIO RI  
Tyronum intelligentia suscitantur, &  
resolvuntur.*

**D**ubitabis primo: an tam internæ, quàm externæ quietes partes sint, pulsum essentialitèr constituentes? Pro decisione duplici modo quietes considerandæ sunt: primo, quatenus ad motus contrarios, quales sunt dilatatio, & compressio, discontinuandos deserviunt: secundo, pulsus sine tantum attentio: primo enim modo partes pulsus essentielles credendæ sunt, cum debeant contrarios inter motus, ex quibus pulsus adintegratur, essentialitèr reperiri; secundo autem modo, extra pulsus essentiam judicandæ; finis namque à natura intentus, motus nempe sanguinis progressivus, non quietibus, sed mediis motibus exequitur.

Dubitabis 2: num Cor, & arteriæ, uno, eodemque tempore dilatationem, compressionemve expriment? Cui dubio negativa est responsio; Cor etenim per compressionem sanguinem in arterias impellit: hæ ergo ut recipiant, eodem debent tempore dilatari; quam ob rem cordis, & arteriarum fibræ antagonistæ censentur.

At in contrarium sequens experientia militat: alterâ manu in arteria metacarpi, & altera in sinistra pectoris mamilla imposita, eodem tempore dilatatio, vel compressio utraque in manu animadvertitur; Cor ergo, & arteriæ non diversis dilatantur, vel comprimuntur temporibus. Ex hac tamen, licet vera, experientia tantum cuilibet licebit deducere, arteriam in metacarpo, arteriamque magnam in egressu à sinistro cordis ventriculo, eodem tempore, & comprimi, & dilatari, quod certissimum judico; de hoc autem minime dubitatio procedit.

Prædicta equidem experientia solum vim facere poterit, cui præterlapsa sit anatomia, quandoquidem hæc demonstrat, cordis situm esse talem, ut pendulum in medio thoracis conspiciatur, æquè à dorso, & sternone, à jugulo, & diafragmate distans; undè ventriculorum illius dilatatio ob distantiam à parte extrema nequit exterius manifestari; ideòque Anatomici animadvertunt, pulsationem in sinistra mamilla observatam, esse arteriæ magnæ motum, eò proximè decur-

rentis: præterquamquod sequens experientia contrarium appertè docet: manu etenim dextræ mamillæ applicata, nulla pulsatio animadvertitur: si ergo illi dexter cordis ventriculus, sicut & sinister pulsans, correspondet, cur in illa pulsatio non debet pariter experiri? Undè pulsationis sensus, sinistra in mamilla animadvertitur, sinistro cordis ventriculo tribui non debet, sed magnæ arteriæ; aliter enim dextra in mamilla deberet etiam animadverti.

Dubitabis 3. an natus calor per compressionem, dilatationemque, sicut per internam, & externam quietem conservetur? Huic dubitationi negativè respondendum esse, supradictis ex argumentis colligitur.

Dubitabis 4. an pulsus, & respiratio, eisdem propter fines à natura fiant, & intendantur? Negativè respondeo; ut enim ex supradictis constat, pulsus finis est *motus sanguinis progressivi excitatio, & perennatio, plurimum indeque utilitatum assequutio*: diversis autem finibus respiratio deservit; primarius enim inspirationis finis est *fluente sanguineo vivificationem, spiritualitatem, atque inflammabilitatem medio aere impertiri*: finis verò expirationis primarius præter alios secundarios effectus, mediis ipsis assequutos, est *expulsio aeris jam inutilis, & permixti vaporibus, particulisque salinis, & sulphureis sanguinis, impregnati*; undè pulsus motum, & respirationem, attentis eorum finibus, summè inter se distare, colligitur.

Posset etiam in dubium revocari: an pulsus immediatè à facultate fiat, & an una facultas, sicut pro dilatatione, & compressionem, ita etiam pro corde, & arteriis sufficiat? Verùm istæ duæ dubitationes, facultate tanquàm entitate chymerica relegata, frustraneæ, & chymericæ pariter redduntur.

## CAPUT IV.

### DE CORDIS STRUCTURA.

**A**Ntequam pulsuum differentias exponerem, aliqua de cordis structura in medium adducere, mihi maximè arrisit; licet enim de hoc plura, & meliora possint apud Anatomicos videri, tamen, quia hæc dissertatio omnes suas vires effundit in Tyronum utilitatem, ad quorum progressum in eis, quæ dicta, & dicenda sunt, brevis anatomica notitia sufficit, quidquid, quin brevitatis limites excederem, ex celeberrimis Anatomicis depromere valui, meis charissimis Tyronibus in medium proferam.

Ne autem promissam brevitatem elevari permittam, omnem controversiam in præsentis de memoria deponam; quapropter, tametsi per celebres Anatomici an Cor musculus sit validissimis rationibus differant, hoc litterario certamine omisso: *Cor nedum musculi vi*

res gerere, verum & re vera muscolum esse, pro certo promitto; ex Antiquis enim Hipp. lib. de Corde hæc habet: *Musculus est valde fortis, non nervo, sed densitate, ac constrictione carnis*, Gal. etiam lib. de Temp. cap. 3. idem insinuat dicens: *Cordis simplex caro natura non est, sed sunt in eo fibræ, quales in musculis cernimus, quibus caro circumheret, &c.* In lib. etiam de suc. bonit. cap. 4. hæc scribit: *Cor certè substantia constat visceribus ceteris & duriore, & fibrosiore, in illis namque vasorum in medio substantia quadam cernitur concreti sanguinis, ut in corde fibræ visuntur, solida multæ, longæ, quemadmodum musculis, circa quos substantia carnosa concrevit.* Quibus ex verbis, Cor nendum musculosa substantia dotari, à viscerum parenchymate distincta, verum & muscolum re vera esse, liquido constat.

Ex Recentioribus Louverus in sua Physica, part. 3. dissert. 2. cap. 1. fol. 269. idem per hæc verba fateatur: *Ac primùm quidem cordis, & vasorum, quæ huic sunt affixa, fabricam acriori animo intuenti, id facillè constabit, Cor ipsum nihil aliud esse præter muscolum, qui propria vi se contrahit.* Idem docet Franciscus Bayle tom. 3. Physic. art. 4. de motu cordis per sequentia verba: *Cor, & ejus auricula habent rationem muscutorum antagonistorum.* Demum hoc ipsum ratione convincitur; etenim, quæ muscolum in suo esse constituunt, cordi essentialitèr adsunt; siquidem caro

firma, & solida, membrana, caput, venter, fibræ, & tendines, quæ muscolum essentialitèr constituunt, Cor intrinsecè componunt: Cor ergo musculus re vera dicitur.

Fibræ, quibus Cor constituitur, tali ordine, talique mirabili structura præditæ sunt, ut in medio carnosæ, in extremitate autem tendinosæ se insinuent; venter à fibrarum carnosa portione adstruitur; istæ etenim fibræ, quæ in carniarum extremo tendinosæ insinuantur, tali configuratione gaudent, ut postquam in carnis columnis valvulas componunt, arteriæ configurationem possideant.

Situatur Cor in medio thoracis inter pulmonum lobos: Ejus figura inferiùs versus conica quasi insinuat, allata etenim basi in mucronem minuitur: pars superior supernas thoracis partes obsidet: inferior mucro. Cordis magnitudo à corporis mole, ipsiusque liquidorum constitutione quærenda: longitudo in adultis sex transversorum digitorum extensione; latitudo quatuor, quinquè: totus ipsius ambitus ad quatuordecim solet produci.

Cordis basis, vasorum ad ipsius substantiam, sinusque pertinentium colligatione quadam supernis partibus suspenditur: ut igitur in suis actionibus contractionis, explicationisque absque obice se gerat, liberum, atque solutum conspicitur; & ut diafragma ti annuat, sinisterorsum aliquantisper vergit, ac membra.



brana quadam, *pericardium* nuncupata, *marfupii* infar laxè includitur.

Licet cordis substantia crassa, & densa se offerat, non tamen in omnibus partibus æqualiter exprimitur, siquidem dextrorsum tenuior, molliorque; sinistrorsum autem crassior, & densior apparet: vascula, ductusque lymphatici ipsi insunt, quæ omnia tali ordine prædita sunt, ut quatuor sinus valdè conspicui in ipso corde constituentur; duo enim laterales sunt ad basim, *auriculæ* appellati; duo in ipsa cordis substantia à basi apicem versus, *ventriculi* dicti.

Tali mechanica constitutione *auriculæ* adstruuntur, ut licet cordis basis *auriculas*, septumque ipsius fibrosum *ventriculos* dividat, annuentibus quibusdam peculiaribus foraminibus, *auricula* dextra *ventriculo* dextro, sinistraque sinistro *ventriculo* communicationem annuat: *parietes* interiores cordis *ventriculorum* fibris quibusdam carnosiss, *lacertis* nuncupatis, adstructi sunt.

Operitur Cor membrana quadam exteriori densissima, quæ ita ipsi inest, ut ab ipso corde difficultè distingui valeat. In cordis basi pinguedinis copia se offert, quæ quidem extremas cordis fibras à rarefactione, nimio in motu assequenda, liberat.

Binæ fortis cordis fibræ se offerunt, *longitudinales*, sive rectæ, & *spirales*, sive obliquæ: *longitudinales* à basi in mucronem per interiorem cordis substantiam

ten-

tendunt in *lacertos*, sive interiores *ventriculorum* columnas: *spirales*, cæteris plurimæ, ab ipsamet cordis basi per totam cordis peripheriam in apicem vergunt, ab apiceque intus in cordis basim insurgunt, ductibus *spirales*, aliis ductibus contrariis, per sinistri *ventriculi* parietes, se se invicem intorsionem explicantes. Cordis compressio *spirales* fibrarum ope efficitur; ipsius verò dilatationem fibræ longitudinales agunt.

Adstruitur etiam cordis substantia arteriis, venis, nervis, ductibusque lymphaticis, qui quidem potius cordis exteriorem partem occupant, arreptamque lympham in *venas* subclavias, aut jugulares conducunt.

Arteriæ, & venæ, quibus Cor adintegratur, *coronariæ* appellantur; duæ arteriæ *coronariæ*, duæque *coronariæ* venæ: arteriæ ex communi arteriarum trunco intra *pericardium* propè cordis basim oriuntur: venæ *coronariæ*, præterquamquod arteriis *coronariis* ferè respondere videntur, ex universa cordis substantia, & suis truncis communibus dimanant, & in majorem venarum truncum intra *pericardium*, à cordis basi non distans, abeunt; arteriæ etenim, & venæ *coronariæ*, valvulis semilunaribus, sanguinis regressui obstantibus, in exortu adstructæ sunt. Nervorum propagatio, & origo, per universam cordis substantiam à pari vago, & plexu, paulò supra Cor innitente, querenda.

Præter dicta vasa, quæ per cordis substantiam jam

D

ad

ad nutritionem, jam ad ipsius assequendum motum, distributa sunt, quatuor ex ipsius basi trunci sanguiferi, ex quibus venæ, & arteriæ, per humani corporis organa propagaræ, originem habent, se offerunt.

Originem ducunt arteriæ à ventriculis per mediam cordis basim duobus truncis maximè communibus omninò diversis. Venæ ab auriculis ad basis ejusdem cordis latera duobus aliis truncis maximè communibus multò magis diversis.

Arteria *aorta*, sive *magna* nuncupata, quatenus cæteris (pulmonali dempta, & aspera arteria) magnitudine excedit, configuratione, & structura, cæteris arteriis communibus, gaudet; membrana autem, qua adstruitur, diversimodè insinuatur, jam enim tenuis, & nervea, jam exilis, & glandulosa, jam muscularis, & motricibus fibris contexta, apparet.

Valvulis semilunaribus, sanguinis regressui ad Cor obstantibus adstructa est: à sinistro cordis ventriculo cum egrediatur, sanguinem fervidum, & spirituosiorem ibi factum, per suos truncos, & ramos, ad diversas corporis regiones conducit.

Arteria pulmonalis (vena arteriosa antiquitùs dicta) à ventriculo dextro cum exeat, per totam pulmonum substantiam effunditur; per hanc enim tota pulmonum substantia à sanguine, è dextro cordis ventriculo effuso, irrigatur: tribus valvulis, quæ *sigmoides* dicuntur, constat, renuentibus, ne sanguis, per  
hanc

hanc arteriam in pulmonem ejectus, in eundem, ex quo exiit, ventriculum delabetur. Per transenam autem notare oportet, pulmones à prædicto sanguine effuso non nutriri, imò totam ipsius quantitatem ad auriculam sinistram, & sinistram cordis ventriculum deferri.

Vena cava, quæ in dextro cordis ventriculo primatum obtinet, vas tubulosum est, fibris diversimodè configuratis præditum, varia etenim fibrarum, quibus adstruitur, configuratio, diversis nominibus insignita, pro diversis muneribus obeundis est à natura præstita: quaproptèr carentia pulsationis, cursus sanguinis redeuntis acceleratio, à fibrarum contractione stimulara, sicut & alia, à diversâ fibrarum structura, modificationeque proveniunt.

Valvulis constat, propriæ situationis, & configurationis vi, ex venis majoribus in minores sanguinis regressum obstantibus. Cum dextro cordis ventriculo tali unione connectitur, ut ab eo vix separari queat, sanguinemque, ab universo corpore redeuntem, ut perfectior fiat, illi tribuit.

Vena pulmonalis (arteria venosa immeritò ab aliquibus dicta) parti superiori ventriculi sinistri affixa, mediâ auriculâ sinistrâ sanguinem per arteriam pulmonalem ad ipsum pulmonem adductum, ubi æthereo spiritu fovente, effluviisque salino-nitrosi suffraganeis, inspiratione attractis, spirituosiorem factum, ipsimet  
ventriculo offert.

Ne igitur in contractione sinistri ventriculi sanguis, ab hoc ventriculo ejectus, ad ipsum refluat, duabus valvulis propè orificium adstruitur, quæ quidem valvulæ *mitrales* nuncupatur, & firmitudinis ratione plurimis fibris, tendinis configuratione pollentibus, constant.

Quamvis valvularum existentia ex dictis constet, nihilominus earum mirabilis ordo considerandus est; valvulæ enim per diversam ipsarum configurationem, situationemque, diversa nomina, diversaque munera explent. Aliæ *sygmoides*, *semilunares*, *cucullares*, *mitrales*, *tricuspides* aliæ, sive *piramidales*, dicuntur; harum autem munus est, sua configuratione, situatoneque impedire ne sanguis, è ventriculis in arterias ejectus, ab his in ventriculos redeat, sicuti sanguini, ab auriculis in ventriculos propulso, regressum è ventriculis in auriculas denegare.

In utroque ventriculo tres sygmoides inveniuntur: in ventriculorum orificiis, ex quibus arteriarum trunci emanant, positæ sunt figura conicâ, cavâ autem intùs pollent, & earum cava basis interiorem arteriarum meatum intuetur.

Alterâ valvularum facies, ea præcipuè, quæ ventriculorum parietibus inest, cordis substantiæ adhærescit: alterâ ventriculorum cavum versus libera conspicitur; tam mirabili textura gaudent, ut sanguis, à ventriculis in arterias ejectus, ipsis compressionem

inducat, qua compressione data, via, ut à ventriculis in arterias irruat, assequitur; quando verò sanguis ab arteriis in ventriculos retrogressum desiderat, valvularum cavum per basim subit, inflatisque valvulis, per parietes expanduntur, clausioque assequitur, atque sanguinis regressus ab arteriis in ventriculos impeditur.

Valvulæ tricuspides, quæ productionibus membranaceis assimilari videntur, ventriculorum columnis minimis fibrulis taliter connectuntur, ut in auricularum cavum nimium inclinari non possint: talitèr in cordis basi adstructæ sunt, ut sanguini, ab auriculis in ventriculos ingredienti, obediant; minimè tamen eisdem sanguini, à ventriculis in auriculas impetum facienti, annuunt, imò resistantiam potius exprimere creduntur: tres harum auriculæ dextræ propè finem, duo sub fine auriculæ sinistrae insunt.

## CAPUT V.

### DE PULSUUM DIFFERENTIIS.

**A**Ntiquorum proscripta pulsus definitione, palàm juxta neotericorum placita pulsus natura explanata, brevique notitia de cordis structura Tyronibus tradita: ad pulsus differentias, tum simplices, tum compositas, investigandas, progrediamur.

Cæterum quia pulsus motus localis est, duplici motu, & duplici quiete coalescens, notandum venit, hujus primas differentias physico in rigore tales non esse; istæ enim variis ex accidentibus, motui locali competentibus, deducendæ sunt; cumque diversarum affectionum, quibus humani corporis partes subjiciuntur, indices sint, quoad usum medicum diversimodè se insinuare, valdè compertum judico: nihilò autem minus locali in motu pulsus naturâ innixa, connexionis ordine ex his, quæ in motu locali considerari solent, pulsuum differentias depromendas esse, convincitur.

Quinque autem locali in motu meditanda veniunt: 1. *movile*. 2. *spatium, quod percurrit*. 3. *movens*. 4. *motus qualitas*. 5. *quietes*. *Movile* in præsentiarum sunt Cor, & arteriæ, in quibus durities, sive rigiditas, & mollities, seu laxitas, considerari possunt; undè pulsus durus, mollis, & mediocris emergit.

*Spatium* est illa distantia, inter terminum à quo, & ad quem, prædictarum partium, adquirentium per motum, vel relinquentium illos, reperta: unde pulsus magnus, parvus, & mediocris confurgit.

Pro exacta pulsus magni intelligentia notandum est, magnitudinem dupliciter considerari, scilicèt vel respectu arteriæ, vel respectu spatii, per quod arteria transit; quæ quidem duæ magnitudines diversæ sunt; arteriæ enim aliæ sunt in se magnæ, spatiumque majus requirunt; aliæ parvæ, minori que spatio indigent;

sed

sed sive magnæ, sive parvæ sint, spatium, quod in motu percurrunt, naturaliter habent, & ab hoc spatii percurrendi modo magnitudo, mediocritas, & parvitas provenit.

Cumque arteriæ distensio trinam secundum dimensionem fieri contingat, secundum longitudinem nempe, latitudinem, & profunditatem, pulsus longus, latus, & altus, seu profundus, nascitur; eritque simpliciter magnus, si trinam dimensionem expleat; si verò aliquam secundum dimensionem deficiat, secundum quid talis dicitur, secundum illam scilicèt dimensionem, per quam arteria naturale spatium explet. Similiter pulsus absolutè erit parvus, quando omnibus in dimensionibus defectuosus se insinuet, & resultat pulsus brevis, angustus, & humilis; si verò in una, aut duabus dimensionibus tantùm deficiat, parvus secundum, quid dicitur; quòd si in his mediocritatem servet, mediocris erit nuncupandus.

Hoc supposito: triplici ex dimensione, quæ in secunda dilatationis parte invenitur, novem simplices differentiæ confurgunt; siquidem his ex dimensionibus quælibet, aut moderata, aut immoderata est: rursus si immoderata, vel in dimensionibus excedit, vel deficit; sicque ex dilatationis longitudine tres pulsus differentiæ confurgunt, longus nempe, mediocris, & brevis: ex latitudine latus, angustus, aut mediocris; ex profunditate altus, humilis, aut mediocris: quas quidem

dem

dem differentias si variis modis complicare volueris, viginti septem, & ultra compositas differentias inuenies.

*Motus* cum sit illa ætherea substantia, cordis, & arteriarum fibras in actum erumpere cogens, atque energiâ, & efficaciâ, remissè, aut levitè hoc exercere possit, æquali mobilis dispositione supposita; hinc pulsus vehemens, aut languidus resultat, inter quos nequit moderatus sicut in aliis considerari, quoniam vehemens semper naturalis est, & eò plùs, quò vehementior.

*Motus qualitas* illius celeritatem, & tarditatem, præcipuè exprimit; undè pulsus celer, tardus, aut mediocris resultat. Ex *quietibus* autem externis, aut internis, mediis inter dilatationem, & compressionem, pulsus frequens, rarus, aut mediocris oritur.

De frequenti dubitatur: an ad talem possit frequentiam devenire, ut utramque quietem amittat? Negativè respondetur; etenim cum contrariis motibus adintegretur, dubium non est, physico in rigore continuari non posse.

Pulsus rythmus à proportionem temporis dilatationis ad contractionis tempus emergit, & è contra; quæ proportio, si duos inter motus æqualitèr reperiatur, pulsus rythmus, seu armoniacus dicitur; atsi talis proportio invertatur, arrythmus, sue improporionatus appellatur: cumque hæc proportio, seu improporionatus

in

in motibus reperta, possit etiam inter quietes versari, notandum est, etiam illarum respectu proportionatum, aut improporionatum debere pulsum existimari; & quia in unaquaque ex differentiis adductis potest æqualitas, aut inæqualitas, observari, ideo æqualis, aut inæqualis pulsus judicandus est.

Pulsus autem inæqualitas unica in pulsatione, una in arteriæ parte, & uno sub digito, aut pluribus in pulsationibus, pluribus in arteriæ partibus, pluribusque sub digitis potest considerari; inæqualitas enim una in pulsatione, unâ arteriæ parte, & uno sub digito, potest in motu reperiri, vel secundum illius partem priorem, posteriorem, aut mediam; ut si dilatationis motus in suis v. g. partibus, licèt continuus sit, uniformitatem non servet; quæ pulsus inæqualitas impares pulsus efformat, ut videre est in febrili inæqualitate, in qua in principio, & motus fine, velociùs, quam in medio, arteria movetur.

Hæc inæqualitas in celeritate reperiri potest, cum una motus pars alia possit esse celerior; similiter vehementiæ convenit, sicque potest in molli, & duro pulsu observari; etenim cum durities à tensione, aut alicujus substantiæ plenitudine eveniat, ut in inflammationibus experitur, in medio motus arteriam diversimodè apparere, nullam in se contradictionem involvit. Inæqualitas ista nequit in frequentia concedi, præcipuè autem quæ respectu quietum attenditur, quiescere

E

enim

enim est à motu cessare, in cessatione autem non magis una pars, quam alia cessat.

Deinde cum quies non nisi comparativè ad aliam quietem esse inæqualis possit, ideò singulari inæqualitate expertus judicatur; quod omne de proportionato, & improportionato pulsu judicandum est. Cum pulsus autem magnus respectu magni, aut parvi spatii, quod arteria pertransit, censeatur, & impossibile habeatur, quod mobile, quod continuò movetur, respectu illius spatii, quod transit, inæqualitatem habeat, ideò à prædicta inæqualitate vacare, est consentaneum.

Inæqualitas singularis in pluribus arteriæ partibus, pluribusque sub digitis, vel respectu arteriæ motus, vel illius situs respectu consideranda est: prima accidit, quando uno ictu, seu pulsatione, secundum diversas arteriæ partes inæqualitas observatur; & hæc est duplex, una dum in pluribus arteriæ partibus continuus motus fit, inæqualitèr tamen, qui pulsus æqualitèr inæqualis, vel inæqualitèr inæqualis fieri potest: primus, quando in tota inæqualitate æqualitatem servat; secundus è contra. Videre hoc licèt in collectiva inæqualitate, quæ pluribus in pulsationibus cum æqualitate fit, ut si prima pulsatio magna, secunda minor, tertia paulò minor, &c. donec sensum fugiant, vel iterum eodem servato ordine de novo recurrant; tunc enim æqualitèr inæqualis est, quia ordine crescit, & decrescit: qui verò pulsus talem ordinem non servant,

inæ-

inæqualitèr inæquales sunt. Hoc modo pulsus in unica pulsatione, pluribus in arteriæ partibus, pluribusque sub digitis, æqualitèr, aut inæqualitèr inæqualis esse poterit, ut si continuò motu arteria primum, secundum, & tertium digitum inæqualitèr percurrat, tunc pulsus erit inæqualitèr inæqualis in pluribus arteriæ partibus, pluribusque sub digitis; è contra tamen inæqualitèr inæqualis.

Præterea contingit, quando primo sub digito, & non sub secundo pulsus percipitur; qui pulsus inæqualis intercifus vocatur, eodemque nomine nominabitur, dum primo, secundo, & quarto sub digito, non autem tertio sentiat; idemque paritèr de reliquis intelligendum venit.

Inæqualitas ex arteriæ situ desumpta emergit, quando arteria diversas secundum partes dextrorsùm, sinistrorsùm, fursùm, & deorsùm movetur; quæ pulsus inæqualitas, sicut ex arteriæ motu desumpta, potest in pulsu duro, molli, vehemènti, debili, celeri, tar- do, proportionato, & improportionato observari.

Ex inæqualitate ex arteriæ situ unica in pulsatione, & sub pluribus digitis, variæ pulsum differentie consurgunt: in primis pulsus tensus, convulsivus, & vibratus: convulsivus dicitur ob similitudinem, quam cum partibus convulsis habet; fitque quando pars aliqua nervorum contractionis ope convellitur, fibrarumque consensus ratione etiam arteria retrahitur: vibra-

E 2

tus

tus verò, licet ab eisdem causis oriatur, eò tamen differt, quod eminentiores, elevatioresque pulsationes efformet.

Deindè pulsus undosus, & vermicularis, inæqualitatem secundum diversas arteriæ partes in magnitudine, celeritateque exprimunt. Primus undosi cognomen assequitur propter similitudinem cum aquarum undis, in quibus prima aquæ unda minor est, secunda major, &c. Vermicularis pulsus, undoso similis, talis dicitur, quia vermis gressibus assimilatur. Horum tamen distinctio efficienti ex causa innotescit; vermicularis enim à debiliore impellente, quam undosus, dimanat; ex undoso enim in vermiculantem; ex vermiculanti in formicantem, formicæ gressibus similem, fit transitus; qui omnes transitus impellentis debilitatem gradatim ostendunt.

Pulsus ferratilis pluribus in arteriæ partibus, pluribus digitis, unaque sub pulsatione, inæqualitèr se insinuat; cumque similitudinem habeat cum dentata ferra, alias partes eminentes, alias depressas habente (in dicto etenim pulsu arteria talitèr insinuat, ut in primo, & tertio digito, neutiquàm in secundo, & quarto, sentiatur) meritò ferratilis nuncupatur. Debet esse celer, & frequens, supponens saltim aliquam impellentis vehementiam cum arteriæ inobedientia, à tensione, & duritie, causata.

Inæqualitas collectiva, seu pluribus in pulsationibus,

bus, potest etiam æqualitèr, & inæqualitèr exprimi; quod evenit, quando plures pulsationes, inter se comparatæ, aut uniformes, aut diffformes existunt; primo enim in pulsu decurato, seu myuro, hoc accidit, dum à magnitudine summam ad parvitatem pulsus descendit, quod si cum æqualitate fiat, ita ut primus pulsus tantum à secundo distet, quantum tertius à quarto, sicque in cæteris, summam usque ad parvitatem deveniat, æqualitèr inæqualis dicitur; quod si ista proportio deficiat, myurus inæqualitèr inæqualis erit.

Pulsus myuri talem solent ad parvitatem devenire, ut cum tactu percipi non possint, meritò deficientes appellentur; alii ultima in parvitate acquisita permanentes, nomine carent; alii tamen cum summam ad parvitatem devenerint, innotescunt iterum, postea augentur, reciproci que dicuntur; quæ differentia in magnitudine, & celeritate, debet admitti; licet enim plures eam insensibilem judicent, ego tamen sensibilem testor; nam si à magnitudine summam ad parvitatem descendens tactui subjicitur; cur dum ab ista ad magnitudinem, quacumque de causa id proveniat, sensibilitatis expers judicanda erit?


Collectiva sub inæqualitate intermittens pulsus continetur; originem ab eo ducens, quod per unius, aut plurium pulsationum spatium, quo tempore arteria moveri, atque pulsare debebat, sua in quiete persistit. Pulsus tamèn intercurrens, cum duas inter pulsationes

unam

unam celeriore, & præter naturam efficiat, intermittenti contrariari videtur. Obiter tamen notandum est, pulsum deficientem talem vocari, non quia arteria à motu veluti in intermittente casset, sed quia tantam ad remissionem devenit, ut sensum fugiat, & quia, ut ex dicendis constabit, à peculiari efficienti producitur.

Hinc ordinatus, & inordinatus pulsus sequitur; quæ quidem pulsus differentia inæquali pulsui superveniunt; nulli enim pulsus differentia ordo accidere potest, ordinis perturbationem experiri impotenti; cumque æqualis pulsus inordinationem, quia æqualitatem amittat, non possit acquirere, in rigore neque ordinationem; quâ de causa illa differentia æquali pulsui competens, æqualitas potius quam ordo appellanda.

Ex his inter proportionatum, & ordinatum pulsum, atque inter improportionatum, & inordinatum, discrimen infertur: pulsus etenim proportio unica in dilatatione, & compressione, inter se comparatis, experitur; hujus autem ordo pluribus ex dilationibus, & compressionibus, animadvertitur.



## CAPUT VI.

DE DIFFERENTIARUM PULSUS  
dignotione.

UT prævia equidem securitate, nostro enixi systemate, pulsus partes, ejusque differentias dignoscere possimus; aliqua, quibus à recto concipiendi modo obstacula fugiant, notabilia præmittam. Primo, in omnibus pulsum differentiis tali debet Medicus instructione fulciri, ut nedum præteriti, & præsentis status, verum & futuri, certum judicium facere sit potis. Secundo, individuales hominis in statu salubri differentias talitèr assequibiles Medico fore, ut morbosè effecti recessum demonstrativa possit fiducia dimetiri. Tertio, temperata manu, triumque digitorum pulpa arteriam tangere debet.

Quoniam autem Medici adventu ægrotantis animus sæpè immutatur, notandum est. 4. ne illicò pulsus statum scrutari conetur. 5. ne in pulsus indaganda differentia, nimia, & præter rationem morositate procedat. 6. quod ad languidum, & celerem pulsum, utique ad externam quietem judicandam, digitorum pulpa tali debet suavitate applicari, ut omne compressionis indicium procùl absit; ad pulsus verò magnos vehementem-



hementes, & duros, omni suavitate penitus amissa, debet arteria comprimi; ad pulsus denique medios modica compressione uti debet; consciusque sit Medicus, an æger omni animi passione expers sit: ægrotantis brachium nec rigidum, nec curvum sit; ejus etiam manus, ac digiti, mediocri figura, suaviorique debent situ gaudere.

His præmissis; jam de pulsuum dignotione agamus. Pulsus durus, & mollis ex eo dignoscuntur, quod durus tangens digitos excavat; è contra in molli arteria à digitorum pulpa veluti excavatur; hinc mediocri in pulsu medio arteria modo se geret. Magno in pulsu arteria tribus equidem digitis suam juxta dimensionem impulsam explicat; in parvo autem uni tantum digito; in mediocri tamen duobus digitis impulsam communicabit.

Pulsus vehemens tangens digitos extrorsum impellit; in languido autem obscure, & remissè arteriæ contactus animadvertitur; præterquamquod si aliqua in vehementi digitorum compressio fiat, arteria fortius impellit; tali autem data in languido compressione, arteriæ impulsus omnino evanescit.

Celeris, & tardi pulsus dignotio à ratione potius, quam à tactu summenda est; celeritas enim, & pulsus tarditas in eo præcipue consistunt, quod æquali in tempore majus arteria spatium, aut in minori æquale percurrat; undè cum tactus solum possit arteriæ motum

per-

percipere, de hoc solum tactus judicare poterit; quatenus pulsus celer cum vehementia, quæ certè tactui subjicitur, complicatur; spatii tamen, & temporis mensuræ perceptio proprius rationi relinquitur. Tardi pulsus dignotio celeris dignotioni contraria est; mediocri tamen utpotè mediis à mediocritate, inter celerem, & tardum intercedente, planè summenda.

Frequens, & rarus, tactui subjiciuntur; æquali enim tempore plures in frequenti ictus, aut totidem minori in tempore, percipiuntur; si autem contrarium eveniat, rarus putandus est, sicuti & mediocri, dummodò mediocritas observetur.

Non me latet Hoffmannum, & Belinium, velocem cum frequenti pulsum confundere, taliter ut velocem negent, aut ipsum frequentem appellent; verum horum realis distinctio ex sequentibus re vera deducitur; nam si arteria magnum brevissimo tempore spatium progrediatur, ipsa verò non iterum, nisi magno transacto tempore moveatur, pulsum esse velocem, & rarum, neminem fugit; si verò arteria multo in tempore breve spatium percurrat, sæpius tamen motum exigua cum intermissione repetat, & frequentem, & tardum esse pulsum, omnibus innotescit: jure ergo hos inter pulsus realis distinctio concedenda.

Pulsus æqualis, & inæqualis, cum omnibus pulsum differentiis possint accidere, ex eò dignoscendi sunt, quod quascumque differentias committentur,

F

æqua-

æqualitatem in illis, aut inæqualitatem servent, nam, si in magnitudine, celeritate, aut quacumque altera differentia, eadem omnibus in pulsationibus magnitudo, celeritas, &c. intercedat, pulsus æqualis erit; cuius contrarium inæqualis exposcit.

Ordinatus, & inordinatus pulsus, ex eò cognitionem terminant, quòd ordinatus in suis pulsationibus determinatum typum servat; ut si quatuor magnas pulsationes, & quintam parvam, quatuor pariter sequentes magnas, & quintam iterum parvam, efficiat, &c. prædictum tamèn typum inordinatus invertit, veluti si inter plures magnas pulsationes, tertia, quinta, septima, &c. parvæ animadvertantur.

Compositarum pulsus differentiarum cognitio ex supra dictis satis conspicua redditur. Verùm pro cororide animadvertere oportet, inter aliquos Fridericum Hoffm. differt. physic. medic. cap. 4. fol. 205. nedùm in simplices differentias, ex his, quæ locali in motu considerantur, deductas, verùm & ultra compositas invehere, dicentem: *Cum Veteres species pulsum ex motus localis natura desumpserint, hinc quot species motus dantur, tot etiam species pulsus fixerunt, adeò ut simplices, & compositæ, innumera ratione temporis, spatii instrumenti, ordinis, æqualitatis, virtutis morventis, descriptæ præsertim apud Gal. differentia legantur; postea autem factum est, ut speciosè has confictas cum non in praxi deprehenderint, vel inutiles, vel incomprehensibiles,*

*tes, & propterea multas rejiciendas esse, solidè, ac doctè monuerint.*

Qua autem maturitate loquutus hoc fuerit, legenti ipsum in citat. cap. penul. paragrapho, ubi sequentia profert, constabit: *Differentia illa à Veteribus descripta vermicularis, formicantis, tremuli, serrati, capricantis, partim ab inæqualitate pulsum, maxima autem omnium à tunicarum, quibus arteria constant, convulsione dependent; undè semper ferè in acutis periculosa sunt judicanda.*

Si ergo differentia ista speciosè confictæ sunt, ad quid prædictus Author earum originem adducit, ad quid periculum, quod portendunt, monet, & in annumerandis simplicibus pulsum differentiis ipsum motum tamquam normam respicit?

## CAPUT VII.

### DE DIFFERENTIARUM PULSUM CAUSIS, & SIGNIFICATIONIBUS.

POSTquam de differentiarum dignotione, præceptisque, ut pulsus infalibilitas patefiat, servandis, egerimus; congrua occasio se offert, ut de differentiarum causis, earumque prælagiis sermo instituat. Ex hucusquè dictis infertur, pulsificam ad actionem, seu

pulsus actum adimplendum, æthereum spiritum, utpotè causam efficientem, sive impellentem; cordis, arteriarumque structuram, utpotè causam instrumentalem; motus sanguinis progressivi excitationem, perennationemque, plurium indequè utilitatum assequitionem, finalem veluti causam concurrere.

Istæ etenim assignatæ causæ ad prædictam assequendam actionem adeò necessariæ censentur, ut earum qualibet deficiente, pulsificus actus aboleatur; quapropter continentes, seu generationis causæ à quamplurimis appellantur. Talem ab æthereo spiritu pulsus dependentiam dicit, ut hoc impedito, etiam si reliqua adsint, pulsus evanescat: instrumentorum præsentia adeò etiam necessaria censetur, ut eorum absoluta renuentia pulsus abesse cogat: quod autem omnis agentis operatio aliquem in finem tendat, finalis causæ necessitatem ostendit.

Ex his continentibus causis aliquæ adeò propriæ pulsus differentiæ nascuntur, ut ipsarum familiares nuncupentur, affectumque continentis proprium demonstrent; sicuti pulsus vehemens, qui, tametsi omnes continentes causæ in illo concurrant, tamen efficientis præpotentiæ tribuitur: pulsus verò durus, & mollis, quia determinatam in arteria dispositionem requirunt, instrumentorum proprii creduntur; à finali autem causa familiares, inseparabilesque pulsus non oriuntur; nam cum pulsus finis motus sanguinis pro-

gre-

gressivi excitatio, & perennatio sit, hocque per vehementiam, magnitudinem, celeritatem, & frequentiam assequi possit, superflua præter has quælibet differentia judicantur. Ut pulsus finis consequatur, in agente, sanguine, & instrumentis determinata proportio esse debet: ut autem pulsus vehemens, magnus, celer, &c. ad finis assequitionem emergant, instrumenta obedientia, & prompta esse oportet, atque æthereum spiritum omninò purum, neque aliis, quibus obturari possit, imprægnatum.

Adverte tamèn non de causis pulsuum continentibus nostrum institutum procedere, sed de his tantum, quæ pulsus immutare valent, non quidem efficienter, productum enim illum supponunt, sed continentes alterando, & immutando causas, ex quarum alteratione, & variatione, pulsus diversimodè explicantur: istæ autem causæ triplici in differentia sunt: aliæ naturales, ut natura, ætas, &c. aliæ non naturales, ut aer, somnus, vigilia, cibus, potus, motus, quies, excreta, retenta, animique passiones; aliæ præternaturales, ut morbi causa, morbus, ipsiusque synthoma; quæ omnia, cum pulsus immutare valeant, pro munere adimplendo, explanationi subijcere, opus erit.

Dubitabis: an pulsus variatio sine alicujus continentis causæ variatione possit accidere? Respondeo, nullam peculiarem pulsus differentiam sine causarum continentium variatione exprimi; siquidem nulla causa con-

ti-

tinens potest, invariatis ejus effectibus, variari; hinc neque effectus, invariata eorum causa, variantur; cumque pulsus ab efficienti, instrumentali, & finali causa, necessariò dependeat, idcirco etsi animi pathemata adsint, continentibus causis eodem modo se habentibus, eodem etiam modo pulsus exprimentur.

## CAPUT VIII.

### DE PULSUS DURI, ET MOLLIS causis, & significationibus.

**A**rteriam duram à siccitate, concretionem, aut repletionem, sicuti mollem à nimis humectantibus ortum ducere, ferè omnes sibi persuadent: quapropter alimenta humida, immodicus balneorum usus, frequens aquæ potus, atque anasarca hydrops, mollitiæ arteriæ causæ tenentur; sanguinis autem concretiones, repletiones, atrophix, alimenta sicca, inedia, immodicus labor, vigilia, tristitia, immodicus refrigerantium usus, inflammationes, convulsiones, flatusque arterias distendentes, duritiæ arteriæ causæ reputantur.

Arteriæ durities pravis in constitutionibus parùm boni significat; subsequi enim solet atrophia; si autem ab inflammationis tensione proveniat, pessima est; quòd si à sanguinis concretionem, læthalis; caloris enim

nativi extinctionem clarè demonstrat. Nec dubito, futuram crisiim posse aliquando insinuare, hoc enim clarè docet, Gal. sent. de crisi, cap. ultimo, inquit: *Nam quo tempore ad crisiim materia movetur per hanc, aut illam regionem, arteriæ, illi correspondentes, tenduntur, undè crisiim per determinatam regionem prænuñciant.*

Arteriæ mollities imminentem sudorem prædicit, ut in praxi pluriès animadvertitur; bonitas autem hujusve pravitas, nedùm à molli pulsu, verùm & à causarum, circumstantiarumque præsentia quærenda est.

## CAPUT IX.

### DE PULSUS MAGNI, ET PARVI causis, & significationibus.

**S**anguinis copia, & rarefactio, valida ipsius à corde in arterias impulsio, arteriarum obedientia, atque spiritus ætherei prædominium, magnos pulsus efficiunt; verumtamen, quamquàm hæc omnia pro pulsu magni causa consideranda sint, non tamen pro hoc adimplendo pulsu omnium præsentia semper necessaria censetur; sanguinis enim aut copia, aut effervescentia urgente, æthereo spiritu præpollente, atque arteria obedienti, magni certè pulsus observantur: mediocri verò sanguinis copia, temperata effervescentia, instru-

mento obedienti, moderataque excitatione ab æthere facta, mediocres pulsus proculdubio assequuntur: hinc, lege contrariorum servata, parvi pulsus causas quisque absque labore reperiet.

Pulsus magnus ex se robur, bonitatemque significat; parvus debilitatem mortem, aut diurnitatem prænunciat; verum animadversione dignum iudico, circumstantias, quibus pulsus magnus apparet, scrutari: magno enim pulsu apparente, si inæqualitas adsit, taliter ut plures ictus magni, plures verò parvi observentur, morbificam causam diversis texturis fulciri, suspicari expedit.

Diverso æquidem modo partium structura à diversis liquidorum superficiebus vellicatur; qua de causa fibrarum oscillationis ope, à diversa liquidorum superficie sequuta, extraordinaria fermentatio, & effervescencia pluriès experitur: atque hinc excretiones vicissim fomentari, omninò probabile existit: quapropter, his fermentativis pugnibus existentibus, morbi iudicium aliquandò prudentèr suspicaberis, adeoque magnum pulsum, aliqua cum inæqualitate apparentem, futuram aliquandò crism ominari, deduces.

Pulsus parvus ut talis sanguinis limositatem, ejus ad motum ineptitudinem, activorum principiorum carentiam, segnem fermentationem, instrumenti obedientiam, atque ætherei spiritus variis, ejus puritatem obscurantibus, effluviis convasationem prædicat: parvus

etiam

etiam pulsus ob sanguinis copiam, & obesitatem aliquandò procedit, veluti in hydropicis; & aliquandò denique ob sanguinis stagnationem; quo ità se habente, raritas associari solet, tuncque sanguinis coagulatio timenda.

## CAPUT X.

### DE PULSUS LONGI, ET BREVIS causis, & significationibus.

CUM pulsus magnus simpliciter talis ab omnium dimensionum excessu proveniat; & secundum quid à longitudinis, latitudinis, aut profunditatis luxu dimanet, atque de his dictum sit satis, de aliis etiam pulsibus, qui triplici ex dimensione oriuntur, abs re non erit tractare: ex his autem pulsibus longus, & brevis, primo recensendi se offerunt. Pulsus longus à corporis gracilitate, arteriæ dispositione, atque ejusdem duritie, & excitatione, provenit; brevis autem à corporis crassitie, sanguinis copia, gibbaque arteriæ figura, ut plurimum procreatur.

Prædictorum causæ ex dictis constant; arteriæ autem vitium potest vel post formatum animal, vel à prima formatione contingere: ut autem significatio elucescat, observa, quod si pulsus gracilitati venarum latitudo associetur, talis pulsus à nativitate provenit; ac

G

si

si venarum angustia adsit; gracilitas acquisita est. Si gracilitas cum langore contingat à debilitate provenit, si autem rugosa, & sicca cutis notetur, gracilitas à siccitate certè procedit.

Pulsus longus, ab arteriæ, dispositione non ortus, in tympaniticis solet ut plurimum reperiri; hic autem pulsus, si congenitus sit, & à nativa gracilitate dimanans, longam solet vitam promittere, citiùs enim qui naturâ crassi sunt, è contra graciles, intereunt. Pulsus brevem, crassitiei ratione productum, habitus rarus demonstrat. Si brevis pulsus homini sano, & in reliquis moderato, acciderit, ab arteriæ dispositione ortum ducit, minùsque funestè prædicit; quod si à natura procedat, brevem vitam insinuat; si aliquibus in morbis (ut in phrenitide, lethargo, & malignis febribus, videre est) reperiatur, periculosus censendus.

Spirituum non nimis volatiliùm copiam, corpora arteriam gravantia, arteriæ mollitiem, magnamque spatii latitudinem, per quam arteria distendatur, latos pulsus procreare, non est ambigendum: quæ omnia ex his, quæ spirituùm copiam non contrariantur, verùm eorum subtilitati officiant, quæque mollificant, & attenuant, & locum majori spatio annuunt, quærenda fore existimo. Latorum pulsus præsentia præcipuè in evacuationibus eas ut plurimum decretorias in bonum esse, testatur: angusto autem ex pulsu à naturæ principio non orto, sed præternaturali à causa producto, malum semper suspicandum.

Ni-

Nimiam spiritus copiam, sanguinis rarefactionem, spirituum orgasmum, corpora arteriæ latera comprimantia, atque mediocris arteriæ mollities, altos pulsus efficere, sicuti contrariis ex causis humiles evenire, probabiliter adstruo. Pulsus altitudo bonum ut plurimum indicat: si antè hujus præsentiam nulla inæqualitas obviat, moderatam vacuationem expecta; quod si inæqualitas altum antè pulsus acciderit, magna vacuatio subsequitur. Pulsus humilitas contrarium semper prædicit, at si langor eodem tempore associetur, syncopis nuncius esse solet.

## CAPUT XI.

### DE CELERIS, ET TARDI PULSUS causis, & significationibus.

**E**fficientis causæ dominium, nimiam sanguinis effervescentiam, & arteriæ mollitiem, celeres pulsus causare, quamplures fatentur; quæ omnia querenda sunt ab aere externo, atque ab his, quæ sanguinis texturam invertere, apta censentur, qualia sunt omnia illa, quæ sanguinem tumultuare solent, ejus moleculas attenuando, intestinumque ejus motum taliter alterando, ut ab hoc in effervescentiam transeat. Tardi pulsus contrariis ex causis sæpè dimanat.

G 2

Cc.

Celer pulsus ex se malum non indicat, nimum tamen spirituum animalium confluxum demonstrat; sanguis enim hoc in statu consideratus, æthereus spiritus naturali puritate pollens, atque instrumenti obedientia, omnia in bonum tendunt: tardus autem pulsus contrarium prædicit, ab ætherei enim spiritus hebetudine, instrumenti reuertia, & sanguinis crassitie, limositate, & lentore, ortum ducit.

## CAPUT XII.

### DE PULSUS FREQUENTIS, ET RARI CAUSIS, & SIGNIFICATIONIBUS.

**S**anguinis tenuitatem, præuiam raritatem, ipsius in corde rarefactionem, animalium spirituum conturbationem, cordis irritationem, à peculiari, qua Cor lacepsitur, acrimonia assequeam, facilemque arteriæ expansionem, frequentes pulsus gignere, ratio convincit. Cor irritari, spirituumque motum, sanguinisque confluxum, ab æthereo spiritu concitari, præterquamquod ex dictis constat, Belinii opinio confirmat de pulsibus, part. unica, fol. 80. sic proferens: *Quoniam musculi moventur per confluxum liquidi nervorum, & sanguinis in villos suos, utraque autem hæc liquida fluunt per canales suos impetu ab extrinseco concepto.*

Per

Per extrinsecum, à quo impetus concipitur æther in aere volitans Belinius insinuare voluit; irritato etenim corde, talis est ejus fibrarum oscillatio, ut ipsummet Cor pluriès contrahi cogatur, quin omnibus in contractionibus sanguinem in arterias trudet; hæ autem contractiones sine sanguinis intrusione in arterias repeti totiès possunt, quotiès perenni impetu sanguinis in villos suos intrusio assequatur; hincque rarus pulsus assequitur, quoniam illud debet quascumque inter pulsationes tempus excurri, quo nihil sanguinis in Cor derivatur.

Undè obstructions in pulmonibus, aut sanguinis semicoagulatio hoc à pulsu exprimuntur: propterea quæcumque nimiam in sanguine acrimoniam, & rarefactionem, in spiritibus orgasmum, in solidis vibrationem nimiam, & oscillationem, aut compressionem, & obstructions, inducere possunt, prædictos valent pulsus efficere, eoque propriùs, quò pulmonibus, cordi, ejus ventriculis, coronariisque proximùs extiterint.

Hi pulsus bonum sæpè non indicant; præsertim autem frequens periculosos solet affectus ominari, ut anginam, vehementem dolorem, &c. si langor cum frequentia occurrat pessimè indicat, spiritum enim hebetudinem, vel privatum influxum ipsorum demonstrat; in pueris tamen benigniùs prædicit.

CA.

## CAPUT XIII.

DE PULSUS VEHEMENTIS, ET  
languidi, causis, & significationibus.

**V**ehemens pulsus à valida cordis constrictione, forti sanguinis in arterias impulsu, copioso spirituum animalium confluxu, æthereæ substantiæ puritate, & copia, & annuentibus instrumentis, emergit; hujus autem contrarias causas languidus semper sequitur. Vehemens bonitatem, lætitiâ, & felicitatem; contrarios verò eventus, languidus anunciat.

## CAPUT XIV.

DE PULSUS RYTHMI, ET ARRYTHMI  
causis, & significationibus.

**C**um rythmus, & arrhythmus pulsus nihil præter proportionem, & improportionem, in contractionis, & distensionis tempore servatam, significare velint, idè eorum causæ ab his, quæ prædictam proportionem, aut improportionem, evertunt, quaerendæ sunt. Hi pulsus in illis frequentèr solent observari,  
qui

qui feбри corripuntur, sanguinemque massam heterogeneis particulis, diversisque texturis pollentibus, conspurcatam esse, significant.

## CAPUT XV.

DE ÆQUALIS, ET IN ÆQUALIS  
pulsus, causis, & significationibus.

**P**lura apud Practicos observatione digna, & ad praxim, & prognosim conducentia, offeruntur, quæ omnia claritatis gratia compendiarie methodo exponam. Pulsus æqualitas ab æqualitate quoad magnitudinem, aut parvitatem, vehementiam, aut debilitatem, desumitur; vera tamèn, & propria pulsus æqualitas ex pluribus seorsim pulsationibus deprehendenda est; æqualis etenim pulsus suis in pulsationibus æquilibrium demonstrat; atque æqualem sanguinis texturam, ipsiusque commoderationem arguit; quaproptèr æqualem solidorum dispositionem, ipsorumque oscillationis causas, suas vires æqualitèr exprimere, ostendit: uno verbo, pulsus æqualitas suarum continentium causarum unico in statu permanentiam significat.

Ad inæqualitatis causam, licèt liquidorum, fluidorumve texturæ diversitas, sicuti & ipsorum carentia modificationis in motu possit quamplurimùm contri-  
bue-



buere, inæqualitatis tamen actus à cordis fibrarum, arteriarumque diversis superficièbus, diversas oscillationes exprimentibus, propriùs emergit. Cæterum ut inæqualis pulsus significativum innotescat, ejusdem ordinatio, aut in ordinatio observari debet; si enim æqualitèr inæqualis pulsus observetur, suæ equidem causæ permanentiam demonstrat; quòd si inæqualitèr inæqualis advertatur, suæ causæ mobilitatem ostendit; sed quia hucusquè dicta cuilibet inæqualitati, sive collectivæ, sive singulari conveniunt, ut peculiare earum præfagium, & significativum constet, peculiare etiam causas brevitàr patefaciam.

### CAPUT XVI.

#### DE INÆQUALITATIS PULSUS CAUSIS, & significationibus.

**P**ulsus inæqualitatis, unica in pulsatione expressæ, causæ, & significationes, ab spirituum conturbatione, sanguinis copia, aut effervescentia, arteriarum opressionibus, atque obstructionibus deducendæ sunt; quæ quidem, cum magis rationi, quam experientia deserviant, diu in eis morari, alienum à promissis videtur.

### CAPUT XVII.

#### DE PULSUS CONVULSIVI CAUSIS, & significationibus.

**C**onvulsivus pulsus, quia ab arteriæ retractione, seu nervorum convulsione ortum ducit, talis cognominatur; arteriæ enim, & nervi tali fibrarum genere adstruuntur, ut contractis nervis, arteriarum contractio sequatur, earumque alterata textura convulsivos pulsus efficiat; à nimia etiam sanguinis effervescentia cum arteriæ duritie tales possunt pulsus emergere, ut in phrenitide, aliisque inflammationibus videre est. Ardentissimis in febribus, atque in inanitione, ex immodicis vacuationibus præcedentibus sequatà, prædicti pulsus præsentiam pæssimam judicabis.

### CAPUT XVIII.

#### DE PULSUS VIBRATI CAUSIS, ET significationibus.

**T**ria ad pulsus vibrati efformationem, ut ab ipsis prædicta differentia collectivè emergat, confide-

anda veniunt : Spiritus ætherei puritas , & copia ; arteriæ durities ; sanguinisque tenuitas , & rarefcentia cum valida in fibris vellicatione associata : sanguis etenim suæ tenuitatis ratione progressivum in motum impetuosè intendit ; cumque arteria nimie elasticitatis ratione debitam nequeat extensionem exprimere , cogitur cum vibratione explicari ; undè nunquam ex se , nisi aliarum complicationum ratione malum promittit.

### CAPUT XIX.

#### DE PULSUS UNDOSI, VERMICULARIS, & FORMICANTIS CAUSIS, & SIGNIFICATIONIBUS.

**Q**Uoniam undosus , vermiculans , & formicans pulsus , penès magis , aut minùs tantùm distinguuntur , de his seorsim agere non placuit ; ab eisdem enim causis dimanant , ut sanguinis copiã , nimiam tamen cum hebetudine passivorum principiorum prædominii ratione , aquæ potissimùm ; deindè spirituum confluxus proptèr inversam ipsorum texturam nimia cum hebetudine annuit , ac denique instrumenti mollities omnibus his ut plurimùm jungitur . Hi pulsus malum sæpè non indicant , imò juxta aliquos undosus crism per sudorem prædicit ; hæc tamen opinio infra conciliabitur.

### CAPUT XX.

#### DE PULSUS SERRINI CAUSIS, ET SIGNIFICATIONIBUS.

**S**ERRINUS pulsus , tali cognomine præditus , quia in tactus occursum eodem modo ac ferra dentata observatur , una enim pars elevata , altera depressa se offert , ab instrumento inæqualitè duro , sanguinis progressivo motu turbato , atque æthereo spiritu , non levi in cordis fibris oscillationem inducente , causatur : qui pulsus internæ inflammationis signum à plurimis Practicis creditur.

Notandum tamen est , hunc pulsum nedum internam inflammationem , verùm & partem inflammatione affectam propriùs demonstrare ; nam inflammatio molli in parte , atque texturæ laxitate gaudente , existens , prædicto à pulsu non ita conspicuè ostenditur , ac si partem , rigiditate , nimiaque elasticitate dotatam , occupaverit ; siquidem in partibus , rigiditate , atque elasticitate dotatis , fibrarum oscillatio , à vellicatione affecta , dolor , atque sensatio fortiùs exprimuntur ; hinc vellicationem , & elasticitatis ratione expansionis impotentiam , ferratili motu arteriam prædicere , mechanicè devincitur : in partibus autem , mollitie , laxitateque præditis , è contra contingit.

## CAPUT XXI.

DE INÆQUALITATIS PULSUUM  
collectivæ causis, & significationibus.

**E**X dictis sancitum manet, collectivam inæqualitatem pluribus in pulsationibus, & pluribus sub digitis exprimi, ut quando una pulsatio magna est, secunda parva, &c. quod omne de aliis differentiis pariter intelligendum est; duro tamen, & molli exceptis, in quibus difficile admodum videtur, ut tam citò ac secunda pulsatio occurrit, de duro in mollem, & è contra permutatio fiat. Hac ex inæqualitate decurtati pulsus oriuntur, nempe cum à magnitudine summam ad parvitatem lapsus fit; qui equidem pulsus si in hac parvitate deficient, myuri deficientes nuncupantur; quòd si permaneant myuri extrema in parvitate dicuntur: alii denique myuri reciproci appellantur, quia à summa parvitate versus magnitudinem progrediuntur.

Horum pulsuum causæ, & significationes ex nuper dictis cuilibet obviæ erunt; de aliarum verò differentiarum, collectivam ad inæqualitatem pertinentium, causis, & significationibus, quia earum animadversio ad praxim utilissima est, quidquid medica in exercitatione valui deprehendere, omni sinceritate tibi exponendum agredior.

CA.

## CAPUT XXII

DE INTERMITTENTIUM PULSUUM  
causis, & significationibus.

**L**icet digressionis notam patiar, sicuti & præter rationem me gerere videar; cum satis diffusè in horum pulsuum causis, & significationibus explanandis, procedam; nihilominus hac de re specialitate quadam sermonem instituendi ratio adeò præpotens censetur, ut nonnulla animadversione digna præmitti debere, judicaverim.

Ferè omnes, quos legerim, Practici asserunt, intermittentem pulsuum vel à valida circa Cor insita obstructione, aut virtutis imbecillitate procreari; ita ut si à prima insinuata causa proveniat, aliquam magnitudinem, quod si à secunda nullam secum magnitudinem afferre, affirmant: quamobrè funestum, & exitiale signum quamplures fatentur, & apud Gal. 2. de caus. cap. 4. & 2. prælag. legitur: *Pulsuum intermittentem maximè mortalem esse, ita ut nemo vivere possit, si per trium pulsationum spatium pulsus cassaret.*

Adeò funestus prædictus pulsus censetur, ut ex inæqualibus nullus deteriores egressus prænunciet; cui opinioni fovet Antonius Ponce Santacruz tom. 1. opuscul.

cul. 3. cap. 28. de collectiva inæqualitate, fol. 110. per hæc verba: *Cæteris paribus, semper est peior, & lethalior pulsus intermittens*, Paulò post fol. 111. loquendo de discrimine inter rarum, & intermittentem pulsus, hæc subscribit: *Undè iuvenes cum pulsu intermittenti sine dubio moriuntur.*

Verùm ( licèt Antiquis Authoribus venerationem tribuendi maximè cupidus sim ) quia contra experientiam nulla ratio subsistit, huiusque dissertationis finis ad nihil præter Tyronum utilitatem conspirat, experientia me impellit, ut contrarium perseverantè affirmem; in lætuli etenim Cathedra, ubi natura, solidorum inquam, fluidorum, liquidorumque, animata structura Medicis, sciendi desiderio præditis, sua infalibilerè arcana detegit, intermittentiam, ut talem, nunquam malum significare, observavi.

Sed, priusquàm quod de intermittenti pulsu in praxi vidi demonstrarem, pulsuum intermittentium causas explanabo; & re vera libentiùs, quam meam opinionem proferrem, aliorum sententiis venerationem tribuerem; mei enim ingenii inbecillitatem agnoscens, mihi confidere non audeo; siquidem in re tam difficili, obscura, atque intricata, probabilitatis limites tantùm attingere, satis existimo, ut indè aliorum excitata ingenia integram rei veritatem, in tenebris latitantem, cruant.

Pulsus igitur intermittentiæ, ut talis, nihil aliud dicit,

cit, nisi arteriam sua in quiete per unius, aut duarum pulsationum spatium talitèr detineri, ut à motu cæsare animadvertatur: undè pulsus intermittentiæ à pulsus raritate in eo distinguitur, quod causæ raritatem producentes ad illud possunt augmentum devenire, ut pulsus intermittere cogant; adeòque pulsus raritas ipsius actio imminuta, intermittentiæ tamèn actio sanè abolita reputatur.

Hoc supposito: halitus, effluviique, à causa materiali crassa, & ponderosa, primis in viis latitante, exhalati, nedùm fibrarum oscillationes minuentes, verùm & solidorum sensum hebetantes, certè solent pulsus intermittentiam efficere; tales etenim halitus, cum à materia, salibus acris orbata, procedant, præterquamquòd prædictam in solidis dispositionem imprimunt, sanguinem, ipsius crasim invertendo, segnem ad motum redunt; quo dato, vellicatio, ab æthereo spiritu in fibris assequenda, hebetata exprimitur, & cum æther prædictæ liquidorum, & solidorum dispositionis ratione, suam vim nequeat æqualitèr exprimere, fibræ quadam contractione afficiuntur, ex qua intermittentiæ sequitur.

Nullus dubitat, partes, prima in regione contentas, prout plurimùm esse subjectum radicationis plurium morborum, à prædicta liquidorum specie originem ducentium; has autèm partes diversis tunicis, dissimilium fibrarum genere adstructis, constare, Anatomia

mia demonstrat: cumque proprietas, conditio, & energia præcipua stimuli stet in eò, quòd temporis momento in remotissimas quasque partes vim suam propaget, eodemque tempore in solidis, æquè ac fluidis, vires suas exerat, certè hinc deducendum, effluvia, à prædicta materia crassa, primis in viis latitante, exhalata, suas vires fibris imprimere, hæque arterias cogere, stimuli taleitatem per intermissionem exprimere.

Quod omne nemini admirationem inducet, dummodo hic conscius sit de fibrarum rectitudine, de earum similitudine, & de potentia, ac ingenti solidorum vi; quandoquidè peculiaris fibrarum compages, mira liquidorum, & solidorum proportio, stimuli que conditio, nedùm longinquas partes in consensum trahit, verùm, & motus modificatio, acceleratio, retardatio, vè, à prædictis dimanare, creditur. Huic assertioni fovet Ingeniosissimus Georgius Baglivius siquidem in cap. 2. var. arg. fol. 184. hæc scribit: *Cur etiam fibra nostra, ab objectis morbosis, vel aliis variè pulsata, pulsationem illam augere, & perpetuare, & ad remota corporis loca momento temporis protrudere non poterit?*

Hanc autem intermittentiã à cordis, ejusque fibrarum contractione, ab halitibus, effluviisque, à materia, primis in viis, hypocondriis præcipuè stabulata, prodeuntibus, productam, materiã halituum, effluviarumque, vacuatã, evanescere, continuis quamquam experientiis evincitur, Lancisci opinione tom. de subitan-

mort.

mort. lib. 1. cap. 19. fol. 59. confirmo: *Hujus veritatis ex me metipso experimentum promam, qui cum tria ante lustra pertinaci, mihi que sensibili cordis contractione, indequè orta pulsus intermittentiã ex hypocondrium consensu per sexenium laboraverim, plus in aliis, quam in me ipso diligens, & attentus, usu tandem rhabbarbari, chalibis, & juris viperati, perfectè convalesci. Hucusquè Lanciscius, cujus opinio videtur meum assertum efficacitè roborare.*

Quem pulsum funestorum eventuum significativum fore, per plurium annorum spatium, non minùs ac alii plurimi, credidi; quousquè continuatã Authorum lectione, observatione, atque experientiã instructus, capi naturæ arcana scrutari, hæcque instructione aliquantispèr edoctus, variis ex pulsuum differentiis varios eventus me expertum fuisse, confiteor.

Nunquam verò intermittentiã prout talis perniciosè prædicat, imò talitèr crisi ostendit, ut vacationis speciem, regionem, tempus, & vacationis quantitatem annunciet, Lanciscius lib. & cap. nupèr citat. hæc scribit: *Et quidem primo quantum expectat ad pulsuum vitia, etiam si apud aliquos inequalitas, atque intermittentiã tantum fiat, ut inde Gal. 4. de loc. affec. cap. ult. & 3. de præsig. ex pulsu, cap. 4. subitam mortem Antipatro prædixerit; nos tamèn signum hoc non solum in pueris, & senibus; ut idè assertuit Gal. sed etiam in juvenibus, & robustis, frequentèr nullo modo funestum*

I

obser.

observavimus, cum scilicet ex levi conutrito organorum vitio, vel ex hypochondriorum irritatione procedit. Quibus ex verbis pulsus intermittentiam nunquam funeste, & perniciosè prædicere, clarè deducitur.

Theophilus Bonetus in suo mercurio compitalicio cap. de pulsu intermittenti, lib. 14. fol. 190. idem per hæc verba sentire videtur: *Porro hæc affectio non tam languidos, & moribundos, aut periculosè egrotantes, quam satis validos, & quoad plurima rectè habentes, passim incepsit, quare non semper juxta Vulgi opinionem pro signo pernicioso admodum summi debet.*

Ex Practicis accurata solertia præditis, qui observationis ope, ut felicè naturæ recondita ex pulsuum differentiarum cognitione invenire possint, lucem præbuere, primatum obtinet Doctor D. Franciscus Solano de Luque. Hic enim secundus Hipp. hoc in puncto indefessè laboravit, ita ut intermittentiam nedùm malum non indicare, verùm & ut talem futuram per diarrhæam crislum monere, constantè affirmer; cap. enim 4. fol. 445. hæc scribit: *Verùm pro nunc fateor, pulsus intermittentes felices eventus producere, fol. tamèn 449. hæc habet: Sicque dummodo causa materialis ponderosa sit, convenientis regio, ut evacuetur, est inferior, & pulsus intermittens est verum, & certum signum, illam ostendens.*

Et quamvis Authoris doctrina planè, clarèque non instruat, quòd formalem à priori talium eventuum

rationem exprimere, noluerit; nihilominus variis experientis ejus doctrina confirmata est, talisque ejus historialis enarratio, ut Medicis Anatomia instructis, atque mechanico systemate enixis, naturæ operandi modum aperiat.

Quoties in febribus, à succis crassis, & lentis, ortis, pulsum intermittentem inveni, toties diarrhæa subsequuta fuit: scitu autem dignum est, hujus crisis celeritatem, aut tarditatem, ab intermittentiæ reditu quærendam esse; si enim post duodecim pulsationes intermittentiæ occurrat, trium dierum spatium solet ante diarrhæam occursum transire; quòd si octò post pulsationes intermittentiæ contingat, sequenti die diarrhæa subsequitur; si autèm frequentiores intermissiones observes, diarrhæam protinùs expectabis. Si temporis spatium, in intermittentiæ consumptum, breve fuerit, levis diarrhæa; si autem nimium copiosa diarrhæa subsequitur: si intermittentiæ cum modica arteriæ tensione sociata fuerit, aliquæ vomitiones cum diarrhæa expectandæ sunt; si verò arteriæ mollities intermittentiæ accedat, semper vidi urinæ profluvium cum diarrhæa subsequi.

Quæ omnia, testor, semper, ut scribo, mihi in praxi observata fuisse; quapropter postquam Deo O. M. honorem, & gloriam tribuendam esse, profiteor, prædictum Authorem laude dignissimum esse, repeto; siquidem hæc omnia in ipso depicta vidi; ut vidi ob-

servavi, & ut mihi observata fuere, in Tyronum utilitatem ostendo.

Morbi enim à materia crassa, chylosa, subacida, viscidaque producti, per alvi dejectionem conferentèr terminantur; tempore autèm quo hæc materialis causa, & fermentari, & moveri incipit, quia halitus effluviique sensum hebetantes excitantur, sanguinis motui morositas inducitur, & fibræ talitèr enervantur, ut parvæ quasi vellicationis sensu contractæ, intermittendo explicentur: undè clarè deducitur, pulsus intermittentiæ majorem, aut minorem, breviorè, aut tardiorè, à causæ materialis copia, atque statu procedere; si autem huic materiali causæ aliqua humoris, per vomitum ejiciendi, portio admisceatur, quia hac in actione pylori fibræ in contractione à mixto humore assequenda, majori rigiditate, atque elasticitate dorantur, habito ipsarum consensu, aliqua tensio cum intermittentiâ animadvertitur.

Quod si serosæ materiæ portio prædictæ materiali causæ admisceatur, tunc halitibus, effluviisque, ex dicta serosa materia exhalatis, totum fibrosum systema madefit, hujusque madefactionis ope arteriæ consentiunt, atque mollitiæ præditæ insinuantur; cum autem hæc materia serosa, quatenus materiæ ponderosæ permixta, inferiorem versus regionem vergentiam dicat, urinarias per vias excerni, ratio omnimodè convincit.

Ne autem doctrinâ usque nunc tradita nova alicui

videatur, scire convenit, hoc nedùm à me, Autoribus nupèr citatis, & aliis ex Recentioribus (quorum authoritates adducere, esset in infinitum procedere) observatum fuisse, verùm etiam ab aliquibus ex Antiquis ipsummet animadversum esse; cæterum ne longior hæc dissertatiõ evadat, quandam Prosperi Alpini Authoritatem tantùm in præsentem exponam. Hic enim de vit. & mort. præfag. cap. 4. fol. 72. ait, se aliquandò observasse præsentem pulsus intermittentiâ, & morbosa constitutione stante, vacationibus ab arte sequitis, & salutis restaurationem, & intermittentiæ absentiam consequutam fuisse, sic profert: *Cayri in Aegypto dominicum à Rege pharmacopolam quinquagenarium vidi, qui ex mala victus ratione cum copiam vitiosorum humorum coacerasset, in tantam corporis debilitatem incidit, ut vix moveri, ac vel etiam loqui posset: in ipso pulsus intermittens per plures dies fuit observatus, qui eò usquè perseveravit, quoad probò medicamentis purgatus, atque vacuatus sanguine, vires recuperavit, quo tempore cessavit intermissio.*

Nedùm semèl hoc, prædictus Author, observasse, ait, verùm & iterùm in alia quadam foemina pleuritide affecta, & delirante, & cum pulsu intermittenti, quæ cum omnium admiratione, vacatione lotii cum lymphæ copia sequuta, omninò libera evasit, sic enim loco citato prosequitur: *Bassani juvenem annos natam supra viginti, plueriticam ab hinc multos annos apud Her-*

metem furcaturam iuriconsultum clarissimum, vidi, in qua usque ad diem quintam pulsus ita intermittebat, ut prima die singulis septem, aut decem pulsibus intermitteret spatio unius pulsationis, & secunda singulis sex, aut quatuor, & tertia singulis tribus, & quarta (qua die morituram quisque meritò iudicasset) cum delira prostratus esset, nihil expueret, difficillima respiratio, inquietissima, & pulsus singulis pulsatis duabus pulsationibus cum ita intermitteret, ut immobilis multò intervallo arteria maneret, pulsusque subsequentes languidi, exilesque essent; nihilominus, præter omnium spem, simul cum urina multa materia crassa pituitosa excreta, nulla alia observata evacuatione, aut iudicio à natura factò.

## CAPUT XXIII.

### DE PULSUS MARTELINI, DICROTI, sive bispulsantis causis, & significationibus.

**P**ulsus martelinum, dicrotum, seu bispulsantem, quia veluti absque interruptione bis digitos ferit, omnes talem appellari fatentur. Inæqualem durtiem, ac mollitiem, inæqualem refrigerationem, inæqualem siccitatem, inæqualem repletionem, atque inæqualem tensionem ad hos pulsus efficiendos concurre-

re,

re, sicuti & malum semper significare, ut certum ab Antiquis asseritur; hacque lactea doctrina, à primis Medicinæ cunabulis instructus, idem sicut & plurimi adtrebam, atque an facultas, an usus, an media arteriæ pars, hos pulsus proprius efforment, dialecticè vociferabam.

Cumque quilibet quovis in dubio nunquam certior, quàm experiendo, evadat; contrariorum eventuum observatio, assidua librorum lectio, doctissimorum Virorum consultatio, atque communicatio, mihi occasionem præbuere, ut accurata solertia, maturoque examine naturæ arcana præscrutari intenderem; tuncque ex naturæ progressibus bispulsationem nedùm malum non prædicere, verùm crism per narium hæmorrhagiam futuram monere deduxi. Ad hanc autem reflexionem mihi ansam præcipuè tribuit DD. Franciscus Solano de Luque lib. 2. cap. 9. fol. 330. hæc scribens: *In omnibus agris post pulsum martelinum, dicrotum, seu bispulsantem sanguinis hæmorrhagiam per nares contigisse, observavi.* Hujus tamen eventus causæ disquisitionem prætermisit.

Quapropter, ut de re tam obscura aliqua saltim à priori ratio tenenda sit, aliqua fundamenti rationem adumbrantia, quibus, licet mens non acquiescat, aliquam tamèn suspensionem acquirat, proponam. Accutis in febribus, quarum materialis causa tenuis, & subtilis, salibusque volatilibus saturata est, proprium, &

re-



regularē, ipsius motum sursum versus tendere, censetur; quare, & propriam prædictæ causæ vacuationem per loca superiora fore, ex ipsius propensione devincitur.

Hinc & tenuitatis causæ ope, & ratione loci, per quem effluit, sanguinis effluxus per nares nedum timendus non est, verum & evacuatio critico salutaris expectanda: quæcumque enim sanguinem effervesce, & expansivè movere, atque in animalibus spiritibus orgasmum suscitare valent, sanguinis effluxum per nares apta sunt promovere.

Neminem latet, spirituum animalium confluxum causam pulsus coadjuvantem esse; qualis igitur horum confluxus fuerit, talis ad pulsum efficiendum coadjuvatio aderit: cordis etiam cum cerebro consensus cuilibet conspicuus est; arteriæ etenim, è corde in cerebrum terminantes in hujus medulla nervi configurationem, ut ex Anatomia constat, suscipiunt: præter nervos à pari vago mutatos, ipso in corde, ejus auriculis, ipsiusque valis majoribus terminantes, alios, animales spiritus etiam impertientes, cordi inhærere, Anatomia ostendit, quod videri est apud Thomam Villis tom. 1. de Cerebri Anatomia cap. 24. pag. 170. dicentem: *Hoc fieri posse per nervos recurrentes, utpotè è quorum nodis furculi, & fibræ plures cardiacæ procedunt, Paulò autem infra: Porro alter quidam transitus, ac iste forsitan magis obvius per nervi intercostalis ductum patescit: hac via in homine, æquè ac parisi vagi commeatu, spiritus à cerebro in præcordia convehuntur.*

Animalibus ergo spiritibus irritatis, summa elasticitas, atque oscillatio, imò & vibratio fibræ inducitur; ex immodica autem spirituum animalium irritatione, seu agitatione, concitatus ipsorum ad Cor confluxus resultat; quare cordis fibræ (jam vellicatæ ab æthere, aut alio quocumque impellente, cujus vellicationis ope jam dilatationis, jam submissionis actum erumpere debent) ex prædictorum spirituum nimio confluxu majori elasticitate afficiuntur, & hac de causa submitio, quæ post dilatationis actum spiraliū fibrarum decurtationis ope assequenda erat, spirituum stimuli præsentia adeò efficax, & impetuosa exprimitur, ut fibræ rectæ majori oscillatione, atque vellicatione induantur, & dilationis actum promptè erumpere cogantur, tuncque demissio adeò brevis se offert, ut bispulsationis cognomine prædictum pulsum declaremus.

Si bispulsatio vehementer contingat, magnum sanguinis fluxum, quòd si languidè parvum firmiter expectabis; si plures absque bispulsatione pulsationes videantur, non citò narium hæmorrhagia eveniet, si tamèn paucis transactis pulsationibus, bispulsatio contingat, protinus hæmorrhagia succedet; quod omne à sanguinis copia, imò ab ipsius majori, vel minori effervescencia, & ad motum dispositione est quærendum.

Hæc omnia re vera semper, ut refero, in praxi observavi, adeò ut cum hæc scriberem quidam ex Discipulis à me missus ad ægrum accessit, ut mihi

de illius dispositione rationem redderet, cumque potius aequales pulsationes bispulsationem notasset, narium hæmorrhagiam sequenti die futuram prædixit, & cum sequenti die ambo ad ægrum accessimus, sanguinis per nares fluxum hora quarta matutina accidisse, domestici omnes constantè protulere.

Quod nedùm morboſis in constitutionibus, verùm & in salutis portu quiescentibus evenire, observavi; siquidem indigandæ veritati incumbens, habita aliquorum ratione periodicè, & typicè singulis mensibus sanguinem per nares vacuantium, ad eos pluriès accessi, quousquè bispulsationem notavi, ipſisque futuræ hæmorrhagiæ per nares diem prædixi.

Tutus sum, rationes hùc usquè traditas, ut hæc assertio firmetur, sufficientes non esse, nam licèt verum sit, sanguinis effervescentiam, spirituum animalium orgasmum; copiosum ipsorum ad Cor confluxum, fibrarum elasticitatem, nervorumque consensum, indubitabilè ad bispulsationem concurrere, cùr tamèn hoc in sanguinis hæmorrhagia per nares ità contingat, ut statim bispulsatio se offerat, perarduum existimo.

Spirituum animalium confluxum, atque pulmonum motum, pro coadjuvante pulsum motus causa teneri præterquamquòd ex dictis inferitur, valdè convictum est experièntiis; quodlibet etenim vitium

pulmonibus, partibusquè, ipſis propinquis, inductum, talem in læſionis actu fibrarum oscillationem inducit, atquè vellicationem communicat, ut statim arteriæ per inordinatos motus, inæqualitèr inæquales, prædictas læſiones exprimant; quòd omne præter fibrarum oscillationem, atquè consensum evenit, quia totus sanguis in circuli perennatione partes, supra dictas, irrigat; quaproptèr quælibet læſio in eis inducta talem turbationem inducit, ut arteriæ per prædictos motus eam exprimere cogantur.

Cumque Cerebrum nervorum origo sit, hique exquisitissimo sensu dotentur, utrorumque affectiones statim ad invicèm communicantur; atque adeò, quia in prædicta sanguinis ad effluxum dispositione tales effluvia, halitusque ad Cerebrum meteorizantur, ut ejus fibræ vellicationis stimulo ad summum elasticitatis gradum deveniant, harum consensus ratione, necesse est, arterias prædictam sensationem exprimere; atque hac de causa modus, & bispulsationis ordo à prædictarum dispositionum statu dependent: tempore autèm quo sanguis jam ad cerebrum tendit, cum prædictæ partes à sanguine fluente irrigentur, stimulus crescit, oscillationes auſcunt, atque fluidorum ad Cor occurſus crebriùs irrruit; ideoque crebriores bispulsationes se offerunt; quòd omne à posteriori evincitur; post totius enim sanguinis vacationem bispulsationes cessant.

## CAPUT XXIV.

DE PULSUS INSIDUI CAUSIS,  
& significationibus.

**I**Nter pulsuum differentias à DD. Francisco Solano de Luque loco citato traditas pulsus insiduos tertium locum obtinet; qui equidem pulsus ex eo dignoscitur, quod post aliquas æquales pulsationes, vel quater dilatationem arteria taliter exprimat, ut prima dilatatio versus magnitudinem, aut vehementiam magnoperè tendat, ordine tamèn servato pulsationes decrescant, ità ut secunda, tertia, & quarta, minorem, & minorem motum expriment, quo facto, arteria pristinum ad statum statim redit, mira æqualitate in omnium pulsationum perystole servata. Qui pulsus ex ipso Authore crism futuram per sudorem ostendit, hæc enim apud ipsum leguntur: *Hunc pulsum semper criscus sudor sequutus fuit, & juxta majorem, aut minorem motus prædicti tarditatem, sicuti & majorem, aut minorem, magnitudinem, & vehementiam, citius, aut tardius, copiosior, aut parcior sudor evenit.* Quæ omnia licet variis experientiis demonstrat, formalem ipsorum rationem non minùs ac in aliis omisit.

Verum licet prædictus Author formalem horum even-

eventuum rationem omittat, occasionem tribuit, ut hos circa eventus meditemur; hinc undosum pulsum ab insiduo distingui deprompsi; undosum verò crism per sudorem prædicere, multos per annos credidisse, negare non audeo, donèc maturo examine naturæ arcanis perscrutandis incubui. De pulsus undositate, ejus causis, faciendique modo, analysi facta, Antiquorum systemate adhuc admissio, præterquamquod prædicti eventus ab experientia fugiunt, ratio ob quam post pulsus undositatem criscus sudor subsequatur admodum obscura censetur.

Pulsus namque undosus, ut talis, nihil præter inæqualitatem continet, ipsum verò ab eadem causa, ac vermiculantem, penès magis, aut minùs fieri, ex Antiquis constat: Impellentis autem robur, aut debilitatem undosi, & vermiculantis, plùs, minùsve diversificari, infra dicenda demonstrabunt.

An iquos inter Authores, qui acurata Solertia de pulsibus scripsere, primus Hercules de Saxonia se offert; hic enim cap. 18. fol. 159. undoso de pulsu hæc scribit: *Undosus pulsus pro causarum, & locorum affectionum diversitate, modò præsentaneum, modò non nisi longi temporis periculum ostendit.* Et Paulò infra: *Ut ergo tandem hac in parte receptum canamus, constat undosum fieri ex inæquali arteriæ molitiè, inæqualem arteriæ molitiem sequi locorum affectionum affectionem, & materiæ inæqualitatem; affectiones esse lethargos spurios,*

rios, comatha, phrenitides, heceticas, peripneumonicas supurationes, asthmata, &c. Paulò post: Cum enim uterque sit inaequalis in uno icu, & sub variis digitis, uterque etiam sit mollis, hocque tantum distent adinvicem, quod undosus sit major, vermiculans sit minor.

Ex qua Saxoniae doctrina, undosum pulsum internarum partium affectionem, determinatas partes internas putredine infectas, humiditatum copiam, solidorumque constitutionem summoperè languidam, significare devincitur, atque undosum pulsum penès magis, aut minùs à vermiculanti distingui suadetur. Nunc sic: nulla critica excretio, virium robore absente, pro salutari tenenda est; in pràdictis à pulsu undoso significatis affectionibus, nulla roboris, aut bonae solidorum constitutionis significatio adest: igitur etsi aliquis per accidens sudor successerit, nec pro critico salutari, nec pro significato ab undoso pulsu teneri debet.

Antonius Ponce Santa Cruz opusc. 3. quæst. qualis sit pulsus, cap. 29. fol. 112. hæc scribit: *Causatur undosus à debili facultate, & molli, & blando instrumento; quod si objicias Gal. in lib. ad Tyrones cap. 8. dixisse, undosum pulsum habere validam facultatem, respondeo intelligendum esse respectu pulsus vermiculantis.* Ex qua doctrina colligitur, undosum pulsum nullatenùs posse, crism salutarem per sudorem significare.

Me tamèn fugit, qua de causa nec ab ipso Autho-

re paulò infrà, nec ab aliis, facultatem debilem, instrumentaque summè languida, supponentibus, criticum salutarem sudorem posse post pulsum undosum subsequi, asseratur; siquidem pràdicta crisis non succedit, nisi morificà causâ à naturâ superatâ; natura enim dùm victrix evadit, fortis ostenditur: proprius, liquidorum elaboratio, meatuum dispositio, atque solidorum moderata elasticitas per pulsum indefectibiliter ostenduntur; pràdictorum autèm causæ à pulsu undosi causis toto cælo differunt.

Ut tandèm pulsus infidus utpotè verum, & indefectibile critici sudoris signum agnoscat, quamquam me nunquam in praxi fefellit, nonnulla obiter, ut hujus eventus veritas obvia fiat, observare placuit. Sicuti tenui materiæ sursum, sive superiorem regionem, materiæ autèm crassæ deorsum, sive inferiorem regionem, ita materiæ, inter tenue, & crassum, mediocritatem servanti, mediam regionem propriam, & regularem esse, nemo negavit; undè morbum, mediocri à materia productum, optimè mediam per regionem terminari, deduces; siquidem peculiaritas regionis, per quam dejectiones expectandæ sunt, à liquidi cum solido configuratione quærenda est; cumque serosa materia, inter tenuem, & crassam medians, tali superficie, & textura dotata sit, ut cum venarum meatibus, arteriarum, corporisque periferia configurationem servet, indè periferiam regio-

nem materiae ferosae vacuandae peculiarem esse contingit.

Haec enim serosa materia, materialis causae morbificae vices gerens, nihil aliud est, nisi aquea quaedam materia, ipsis ex venis ferbilis fermentationis ope extracta, vel sola, vel potulentae materiae conjuncta, aliisque salis particulis saturata, nervearum fibrarum, vel venarum stimulo educta: haec etiam serosa materia praeter febriles alterationes varios fermentationis modos sortitur, ut de variis ejus texturis ineditanti patefceret: taliter etiam haec serosa materia variatur, ut ejus substantia jam tenuis, jam crassa inspiciatur; ejus quantitas jam pauca, jam copiosa se offerat; ejus superficies caliditatem, frigiditatemve tactui, amaritudinem, falsedinem, & acritudinem gustui, fetorem, & aciditatis acutiem olfactui, ruborum denique, flavedinem, &c. visui inducat.

Quales igitur fuerint particulae salinae, atomi, substantialesque effluvia, quibus praedicta serosa materia adintegratur, talis ipsius agitatio, motus, atque fermentatio, expectari debet: hinc qualis haec fuerit, talem sanguini tumultum inducit, adeo, ut aliquando necdum sanguinem effervescere, verum & saepe saepius turgentiae vices pati, cogat; ex prava enim sanguini constitutione inducta, corpusculorumque ipsius agitatione, nerveae venarum, arteriarumque fibrae vehementes oscillationes suscipiunt, taliter

ut

ut aequali energia praedictum sanguinis statum, velle-cationemque, arterias cogat, insiduum per pulsum exprimere.

Hinc praedictis ex fermentationibus haec serosa materia talem configurationem sortitur, ut venarum porulos permeando, cutisque meatus disrumpendo, ipsius evacuatio mechanicè perficiatur, cujus tarditas, aut celeritas, à pulsus insiduitate frequenti, vel tarda, quaerenda est; haec namque à feri, sanguinisque fermentationis statu, vacuationis verò quantitas ab insiduitatis magnitudine, parvitate, vehementia, aut langore desumitur. Quòd omne, praeterquamquòd feri, & sanguinis fermentationis effectus, solidis communicati, ostendunt, Gal. opinione apud Hieronymum Mercurialem de excretis lib. 3. de sudoribus, cap. 1. fol. 146. ita de sudore critico loquentem, confirmatur: *Criticos verò sudores attestatur Gal. qui sunt in statu, & declinatione morborum semper fieri à virtute valida expultrice venarum, & arteriarum, quae stimulata ab humoribus noxiis eos expellere nititur.*

Expultrix etenim venarum, arteriarumque virtus, ipsorum vasorum mechanica fibrarum constitutio censenda est; siquidem ope stimuli, à noxiis humoribus inducti, oscillatio sequitur, in oscillationis actu longitudinales fibrae sensationem exprimunt, ideoque in dilatationis actu vehementer, & magnope-

L

re

rè explicantur; vehementiæ verò, & magnitudinis remissio ab stimuli suspensionis modo dimanat.

## CAPUT XXV.

### DE PULSIBUS, A REBUS NATURALIBUS PROVENIENTIBUS.

**T**emperamentum calidum comitem habere pulsum magnum, celerem, vehementemque, sicuti frigidum è contra, adeò apertum est, ut oculis cerni videatur: verùm cum anexa humiditas, siccitasve considerari debeat, & unaquæque harum propter peculiarem, quam in solidis, dispositionem, imprimis, arterias valdè immutare sit potis, ideò calidum cum humiditate sociatum minorem, & cum manifesta arteriæ mollitiæ, vehementiam representabit, cum siccitate verò è contrà; & paritèr de frigido discurrendum.

Ætas etiam cum temperamenti ratione peculiarem pulsum habere debeat, ad illius pensum de correspondente pulsu inferendum erit. In summa ergo: *Juvenes* vehementem, & magnum pulsum habent: *Senes* debilem, & parvum, & inter hos medium *Pueri*. *Sexus* etiam peculiare pulsus differentias secum affert; nam in *Viris*, quia elasticiori solido, &

liqui-

liquidis, plurimis, quam *Fœminæ*, particulis oleoso-balsamicis adintegratis, gaudent, vehementes, magni, & tardi pulsus observantur. In *Fœminis* debiliores, & minores, verùm hac de causâ celeriores apparent; quod sexus ratione tantùm attendendum est; nam juxta peculiarem *Fœminæ* in solidis, liquidisque, texturam, easdem, imò majores, quam *Viri*, coaptatas differentias fortiri valet.

## CAPUT XXVI.

### DE PULSIBUS A REBUS NON NATURALIBUS PROVENIENTIBUS.

**I**nter res non naturales ad immutandum pulsum potentior est aer, qui sua elasticitate, & gravitate, peculiarem vim solidis, liquidisque fluxibilitatem inducit. *Boreas*, sive *Aquilo*, majori elasticitate, & gravitate, quam *Auster*, sive *Nebulosus* gaudet; ideò *Boreas* ad augendam elasticitatem in solidis, sicque ad promptiores, vehementioresque arteriarum oscillationes, & vibrationes, contrà tamèn *Auster*, laxitatem in solidis inducens, ad debiliores, tardioresque impulsivos motus eliciendos, aptior existit: quapropter, regnante *Borea*, pulsus magni, vehementes, celeres, & cum aliqua arteriæ rigiditate observantur:

L 2

Auf-

Austro verò dominante, frequentes, & parvi, cum aliqua arteriæ mollitiæ; idemque in reliquis aeris differentiis, prout magis, aut minùs ad *Boream*, vel *Austri* naturam accedunt, observare licet. De anni temporibus similiter philosophandum, judico; nam juxta aeris mutationes, quas unumquodque anni tempus veluti peculiare sibi abrogat, correspondentes in pulsu mutationes à majori, aut minori aeris elasticitate, sicut & gravitate, quæ, de *Borea*, & *Austro* loquentes, sancitæ fuere, animadvertuntur.

*Somnus* moderatus, cum ad congruam nutritionem assequendam conducatur, pulsum magnum, & vehementem efficit, & aliquantulum post somnum ob majorem liquidorum impetum, per vasa sequutum, pulsus aliqua cum vibratione conspicitur; *Somnus* autem immoderatus, cum solida laxet, ad parvitatem, & tarditatem pulsum declinare facit.

*Exercitium* moderatum, cum solidorum tonum servet, liquidorumque circulum promoveat, pulsum naturalem conservat: si verò immoderatum sit, ita ut illius ratione corpus notabiliter incalescat, pulsus celer, & veluti vibratus exprimitur; quòd si ultra virium tolerantiam sit, tunc pulsus debiles, parvi, tardi, & rari offeruntur.

*Alimentum*, moderata in quantitate sumptum, quoniam corpus medio illo roboratur, magnos, & vehementes pulsus procreat; cæterum si in quantitate

fit

fit excedens, solida gravat, ita ut nunc celeriter, nunc tardè operentur; & ideò pulsus inordinati fiunt; si autem partius, quàm conveniat, fuerit, pulsus debiles, parvi, & tardi se insinuant.

*Potus*, si ardens, & valdè spirituosus fuerit, solida stimulat, liquidaque ad cursum concitat, ideòque celeriores pulsus efficit; cæterum si potus aquosæ, & vapida substantiæ tantum fuerit, solida laxat, hincque parvi, & tardi pulsus emergunt.

*Uteri gestatio* majores, celeriores, & crebriores pulsus inducit, primis præcipuè transactis mensibus, eò quòd in illis ob depurationis menstrualis defectum major in ra vasa liquidorum copia, quàm antecedenti in statu, supponatur, sicque arteriæ majores, quàm antea, & celeriores motus exhibere coguntur.

## CAPUT XXVII.

### DE PULSIBUS A REBUS PRÆTER naturam provenientes.

CUM res præter naturam sint morbi causa, morbus, ipsiusque symphoma, hæque innumeras differentias sortiantur, unicuique peculiarem pulsus differentiam adaptare, esset ultra Tyronum tolerantiam

tiam progredi, præsertim cum eas prolixè exquisitas apud plures Practicos quisque inveniatur; præterquam quòd plures inter se, aut dissimiles differentiae in diversis rebus præter naturam observantur; ideòque de principalioribus tantum (ad quas reliquæ facillè reducuntur) pro nunc sermo instituetur.

*Febris inter morbos, imò & omnia præter naturam, quæ pulsus immutare valent, frequentior est; febris enim dignotio talitèr ex pulsu dependet, ut omnibus aliis signis deficientibus, pulsu tantum animadverso, febris existentia verificetur; hoc verò non consulto, licèt omnia alia signa existant, febris defectus asseratur; nedùm enim apud Medicos, verum & apud Vulgus sufficit, ad hominem febrile determinare, quod arteriarum motus irritatus, & perturbatus sit; sicuti è converso, homo sine febre iudicatur, dum arteriarum motus ab omni irritatione, & perturbatione liber animadvertitur.*

Reliqua autem signa, quæ in febricitantibus reperiri solent, ut diarrhæa, vomitus, sudor, siccitas, respirandi difficultas, &c. absque febre frequentèr observantur, ut ex Gal. constat, qui in lib. de differentiis febrium nedùm arteriarum motus meminit, sed pluriès repetit, adeò ut licèt etiam caloris præter naturam mentionem faciat, tamèn non ità frequentèr, nec ut inseparabilis ad minus sensibilitèr, ut in accessionum principiis, & malignis febribus videre est.

Arte.

Arteriarum verò motus irritati, & perturbati, semper tanquam febris patognomonici signi mentionem fecit, ut non immeritò febrem in irritato, & perturbato Cordis motu, potiùs, quàm in calore præter naturam, consistere, iudicem. Febris igitur ut talis signum erit pulsus magnus, celer, & creber; quia supposito Cordis stimulo aucto, ipsoque assiduo, illius vibrationes magnæ, celeres, & crebræ esse debent; has enim pulsus differentias ad febrem, pulsus ratione tantum attendenda, dignoscendam, plures apud Practicos assignatas vidi.

In quolibet systemate exprimunt arteriæ stimulum, febrilem creditum, sive ab immodico spirituum confluxu, organosve, sive à sanguinis ebullitione, sive à calore præternaturali, ut Antiqui, in corde accenso, causatum; cumque prædicta re vera possint absque febre aliquandò observari; ideò prædictas pulsus differentias genericè tantum febrem demonstrare, credendum est: quaproptèr aliquid, quod specificè febrem, pulsus ratione tantum attendenda, significet, prædictis differentiis addere, necessarium existimo: qua quidem in re, tametsi veritatem rimari diligentèr studui, apud Authores parùm demonstrabile hoc assertum inveni; quanquam enim omnes asserant, febrilem calorem à quovis alio usus augmento distinguere, ratio autem formalis, & à priori hujus distinctionis, adeò mihi obscura proponitur, ut solum  
phi-



philosophica libertate methaphisicè exarabilis videatur.

Quamdam inæqualitatis speciem omni febrili calori propriam, & peculiarem, ferè omnes, quos viderim, Præctici pro patognomonico signo adstruunt: hæc autem febrilis inæqualitas nihil aliud est, quàm *inæqualitas motus dilatationis, quandò extrema illius sunt celeriora, quàm medium, hocque sub uno digito, unaque sub pulsatione.*

Supposita in fibris rectis, sive longitudinalibus, vellicatione, spiritus ætherei, vel cujuscumque stimulantis ope sequuta, diversa febrilis fermenti, inæqualitèr agitati, textura prædictas in fibras agit, fibræque dilatationis actum illo, quem susceperunt, impetu erumpunt; in hujus autem dilatationis actus medio fibræ obliquæ, quæ quiescere debebant, propter inæqualem motus modificationem, à diversa febrilis fermenti textura ortam, intempestivè vellicantur, vimque pro illo, quo patiuntur, tempore sentiunt; impetusque in fibris rectis susceptus pro eo tunc obscuratur; hincque febrilis inæqualitas, à plurimis admittitur, à paucis tamèn demonstrata, deducenda: cæterum quia febris alia putrida, alia diaria, & alia hæctica est, de unaquaque aliquantulum dicendum.

In *Diaria legitima* pulsus magnus, vehemens, & æqualis est, natura stante robusta, causa stimulante benigna, æqualique textura pollente. In *Diaria spuria*

cum

eum causa stimulans proptèr incongruorum salium concursum inæquali textura polleat, cum magno, & vehementi pulsu solet inæqualitas complicari.

Ut in Febris Putridæ pulsibus assignandis clariùs procedam, notare cogor, putredinem propriè dictam nullatenùs posse, nec formam, nec denominationem febribus præstare; febris etenim formalis ratio in sanguinis præternaturali, depravata, insignitèrve aucta fermentatione, effervescentiæ viribus pollente, consistit; quaproptèr putredo, ab Antiquis febrium causa habita, ab aliquibus Recentioribus, ut Senertus, Uvillifius, Silvius, & alii, permittitur, febrium veriori causâ cognita, ipsiusque inhætionis, & radicationis subjecto scito, nihil præter extraneam sanguinis ebullitionem importat.

Incongruorum salium muriaticorum dominium, atque miasmatum heterogeneorum diversitas in effervescentiis, febres, *putridas* dictas, producentibus, observata, tales fibræ oscillationes inducunt, ut ad pensum talis confusionis in causando, ad illud etiam pensum, arteriæ stimulum exprimant; quaproptèr pulsu febris, putridæ dictæ, celeres, & præternaturalitèr frequentes esse astruo; præternaturalitèr dixi, ut à pulsibus frequentibus, aliis de causis ortis, distinguantur; distinguntur etenim, siquidèm in quietibus, inter dilatationem, & compressionem mediis, in his febribus manifesta inæqualitas observatur; quia autem in præ-

M

dic-

dictis extraordinariis fermentationibus salia fixa volatilibus uberiora sunt, sanguinis orgasmus obscuratur, hincque & pulsus dilatatio confunditur; qua de causa arteriæ contractiones magis explicatæ, & vividiores emergunt, atque hinc illa quietum inæqualitas, in febribus, putridis dictis, observata, originem ducit.

In *Febre Hæctica* pulsus debilis, creber, & æqualis est, cum aliqua arteriæ rigiditate; natura enim præ debilitate nequit vehementiam, neque magnitudinem apponere; stimulus autem est æqualis indolis, & arteriæ præ substantiæ defectu requisitam molliem amittunt.

In *Inflammationibus* pulsus celeres, vibrati, & ferrini fiunt; siquidem in inflammationibus solidorum tensio adest, propter quam arteriæ durities, & inobedientia, ad vibrationem inducuntur; quare supposito stimulo ratione liquidi, inflammationem causantis, in arteriis, cum hæ tensionis vi magnitudinem apponere non possint, hanc media celeritate suppleant. Vibratus etiam, & ferrinus pulsus se offert, quia cum omne arteriarum solidum non æqualitèr tendatur, aliquæ arteriæ partes, in pulsu cedentes, majorem extensionem repræsentant, quàm aliæ; sicque arteriæ partes veluti vibrato, & ferrino motu se offerunt.

Pulsus tandem ferrinus peculiaris re vera inflammationi tenendus: in vera enim inflammatione præternaturalis molestia, violentaque impressio, ab ob-

jecto causata, reperiuntur: plenitudinis ope tensio experitur, putridarum, heterogenearumque particularum effervescentiæ ratione calor immodicus experiri debet; quæ omnia arterias varias explanationes efficere, per ferrinosque motus stimulum exprimere, cogunt; hanc tamèn ferrinam explanationem difficulter sensui subjici sequentia demonstrant: his enim pulsibus celeritas jungitur, cujus ratione ferræ similitudo obscuratur; aliquandò etiam pituitæ portio inflammationi admiscetur, tumque ferræ imago delitescit; similiter partis inflammatæ textura ferrantis conditionem multoties obtenebrat: igitur peculiaris inflammationis pulsus ferrinus erit, ejus tamèn obscuratio à celeritate adjuncta, pituitæ copia, ad inflammationem concurrente, diversis inflammationis temporibus, diversaque partis affectæ texturâ certè dependet.

Nedùm autem ferrina, verùm & dura, & tensiva explicatio ob diversam partis affectæ texturam confunditur, ut in cerebri, & pulmonum inflammationibus videre est; in his enim prædictarum partium laxitas tensionem, arteriarumque duritiem, inflammationis ratione sequendam, nedùm temperat, verùm & impedit. Hoc Vallesius insinuare voluit in suis medicis, & philosophicis controversiis, lib. 3. cap. 16. de pulsu inflammatorio, dicens: *Est verò hic communis, quia inflammationem, quæ est inflammatio, consequitur, nisi major aliqua vis sit, quæ ad contrarium transferat,*

ut in peripneumonia esset propter calorem, & tensionem, pulsus durus, sed quia hæc, cum in laxum incidat membrum, parvam possunt in arteriis tensionem facere.

Inter Synthomata Dolor pulsum valdè immutare valet, diversimodè tamèn penès illius intensiorem, & durationem; doloris enim initio pulsus magnus, vehemens, celer, & frequens experitur, quoniam naturæ robore adhuc stante, solidoque summè stimulado, nequit natura cum motibus, ad illud excutiendum promptius coaptatis, non insurgere; quòd si dolor intensus fuerit, diùque perseveraverit, natura labefactatur, scilicèt solida mediis irritis motibus cedunt, liquidaque balsamicis particulis depauperantur, ideòque languidi, & crebri pulsus exprimentur.

Inter animi pathemata *Ira*, & *Tristitia*, pulsum maximè immutant: in *Ira* enim alti, magni, vehementes, celeres, & crebri pulsus fiunt; nam celeris liquidorum expansionis ratione prædictæ motus differentia in arteriis correspondent: in *Tristitia* autèm languidus, tardus, & rarus pulsus observatur, quoniam solidorum sensus veluti sopitur à tardo liquidorum cursu ob intensam in particulare objectum meditationem applicitam.

Reliqua animi pathemata prout ad iram, aut tristitiam magis, minusvè accedunt, aut ab illis recedunt, nempè prout ad liquidorum egressum ad externa, vel è contrà ad liquidorum recursum ad intima

concitandum, conducunt, sic paritèr arteriarum motus ad iram, aut tristitiam subsequutos excitant, aut emulantur.



## DISSERTATIO

PHYSICO MEDICA, THEORICO-PRACTICA de natura, differentiis, causis, prognosi, & curatione Febris Mesentericæ cum Catarrhali complicatæ.



**D**E Febris Mesentericis cum Catarrhali-  
bus complicatis sermonem instituere, aliqui admirationem inducere non sentio. Mesentericam Febrem absque Catarrhali, Catarrhalemque absque Mesenterica sortiri valere, præterquamquòd de earum constitutivo à ratione suadetur, quotidie in praxi experitur: quòd si aliquis de harum febrium complicatione dubitationi incumbere pronus extiterit, erga catarrhi constitutum meditari obsecro; ex hac enim meditatione Mesentericæ Febris cum Catarrhali complicationem sine tædio conspiciet; etenim quemadmodum catarrhus, qui est defensus lymphæ è Cerebro, ejusque glandulis in partes subjectas, potest in pectus, asperam arteriam, pleuram,

ram, pulmones, &c. descendere; in œsophagum, ventriculum, & intestina dilabi etiam valet: quòd omne, licet è plurium Anatomico-Practicorum assertis demonstratione deprompta confirmare potuerim, celeberrimi Friderici Hoffmanni doctrinam capite de febre catarrhali traditam pro ejus confirmatione tantum proponam: *Contingit hoc in tota narium, palati, & faucium regione, tota etiam arteria aspera cum ramis bronchialibus; quinimò ipso œsophago, ventriculo, & intestinis.* Idem sentit Theophilus Bonetus in suo mercurio compitalitio, lib. 6. de febre catarrhali fol. 226. dicens: *Aliquando longè major catarrhi quantitas per œsophagum in ventriculum, & mesenterium illabitur, quàm per tracheam in pulmones; in mesenterio autem hæc diuturno tempore contenta, nec ventilata, calorem putrefacientem frequentèr concipit, & febrem excitat, non parùm ad putredinem adminiculantibus obstructionibus, accedente ad eas catarrhi defluxione, quæ eas fovet.* Huic etiam opinioni annunt sequentia Silvii Deleboe verba in praxi medica apud tractatum 4. fol. 451. *Hi autem catarrhi falsi non tantum ad pulmones, sed ad ventriculum quoque, & intestina defluunt.*

Cum lymphæ dictis è locis in partes primæ in regione contentas deflexerit, aliquamque ibi mansionem susceperit; acescit, à sua crassi declinat, segnique cum motu progreditur; hincque producta morbosa, vel symptomata enarranda, è solidorum, quibus lymphæ  
illap-

illapsa inhæret; genio quasi formam suscipientia, micant.

Ut aliquam saltem hujus febris descriptionem pronunciem, erga formale febris in genere constitutum suscitatas controversias effugiam; tanta enim systematum varietas occurrit, ut turbationem potius, quàm rationem animis inducat. Si Antiquorum debita veneratione hoc in puncto vestigia sequar, febrem definire teneor per *Calorem præter naturam in corde accensum, & per arterias ad omnes corporis partes effusum, sin minus in principalioribus partibus contentum.* Si Neotericorum placita in fermentatione enixa amplectar, febrem *Nimiam effervescentiam, sanguini, & humoribus inductam, cum calore, siti, aliisque symptomatis, quibus æconomia naturalis variè perturbatur, esse subscriberem.* Quòd si Mechanismi assertis adhæream, *Nature medicatricis actum, salutari fine susceptum, quo materiam quamdam, putredini concipiendæ, & concitandæ aptam, sive verè præsentem, sive idealitèr suppositam, per motus vitales solitò auctiores, varièque alteratos, & modificatos generatim, speciatim verò per actus secretorios, & excretorios, certò ordine, mensura, paroxysmo, & periodo eliminare contendit.* Verùm hos, aliosque discurrendi modos omitto; siquidem cum dicta systemata doctissimorum Virorum doctrinæ enixa, philosophicis principiis, vividisque demonstrationibus, fulcita conspiciam; unusquisque juxta genium,

nium, propriamve ideam, systema illud, congruentiorem suo opinandi modo proportionem inducens, ut potè accommodatius, dulcius, meliùsque amplectetur.

Qua de causa, reliquorum vestigia sequens, cum doctissimo Junquero hanc febrem sic præscribo: *Febris continua secundaria, qua principium vitale motibus secretoriis, & excretoriis, ultra gradum quidem naturalem auctis, satis tamèn moderate procedentibus, lympham, si ve qualitate, si ve motu lassam, corrigere intendit.*

Ad hujus febris differentias quod attinet, licèt malignæ, benignæve conspiciantur, re tamèn vera specie non differunt; siquidem malitiæ gradus, symptomatumque varietas, ab eadem materiali causa semper oriuntur; nihilominùs major, minorve corpusculorum, saliumque, quibus lymphæ saturata fuerit, incongruitas, heterogeneitasque, uti partium, in quibus prædicta lymphæ locata fuerit, textura, plexus v.g. fibrarum, majori, minorive elasticitate fruendum, oscillationes, vellicationesque modificat, vel auget; ex hisque mechanicis progressibus diversa symptomata conspiciuntur.

Hac ex reflexione deducitur, undè tanta productorum varietas, quotidie in praxi observata, emergat; in harum enim febrium constitutione narium hæmorrhagia, raucedo, coryza, anginosa producta, pleu-

pleuriticæ dolores, sanguinis sputum, nausea, vomitus, viscerum anxietas, quædam implaciditatis species, diarrhææ, linguæ ariditas, sitis, delirium, surditas, sitis præter rationem carentia, vigiliæ, immodici somni, urinæ decurtatio, aliaque non præterlapsa, sed justò omiſsa symptomata; quæ omnia ab eadem materia diversè modificata provenire, quotidie animadvertitur; & quò major sit sanguinis, & feri impuri copia, eò graviora symptomata adsunt, eòque diutiùs morbus trahitur, teste Hoffimano loco nupè citato.

Quamquàm ex prædictorum meditatione signa, harum febrium dignotionem exprimentia, facile conspiciantur; nihilominùs ulterius ipsa signa aliquantisper meditari est necesse; adeò enim usui medico necessaria sunt, ut cogatur Fernelius dicere: *Tanta est signorum necessitas, ut his sublati, necesse est, ut Medicinæ fundamenta corruant.* Præterquamquò ab eadem causa æquivoca producta multoties videantur; aliæ etiam partes, licèt diversis muneribus respondeant, fibræ, alias partes adstruentibus, similibus adintegrantur, quo casu signa obscure significant. Hæc meditantis Santa-Cruz sequentia lib. de impedim. scripsit: *Eminentur multoties signa, quæ possunt à variis partibus oriri, quia similitudines sunt falaces.* Nec mirandum, me in signorum significationibus circumspecta quiete morari, siquidem significatum, ex illis Hipp. verbis

eductum, nunquam à mente recedit: *Similitudines solent parere errores etiam bonis Medicis.*

Prout plurimum febris hæc mitis ostentatur, calor levis cum angustia in præcordiis, & anxietate; pulsus humiles, celeres, & frequentes; lingua humida; primis diebus nec siti cruciantur ægri. Tamen quovis anni tempore dictæ febres contingere possint; hiemali, autumnalique tempore frequentius apparent; horripilationes, leveque frigus eas etiam comitari solet. Regulares ejus invasions vespertinæ, autiones nocturnæ, decretionis verò matutinæ levi cum sudore esse solent; Caput debilitate plùs, quàm dolore, cruciatur; urinæ mòx turbidæ cum sedimento roseo-palido apparent, matullaque lacteo-livescente calore tingitur; tussisque frequens, molesta, & sicca, totius ferè morbi cursu comitatur.

Circa prognosim primùm ægri constitutio attendenda; prior enim pars morbi est ipsa patientis corporis constitutio: idcirco, solido sano existente, causæ conditio maximè inspicienda, si enim causæ aut malignum miasma, aut extraneum fermentum hæreat, ejus conditio pejor erit. Quantitas, causæque qualitas, uti salium, quibus lymphæ saturatur, species observanda. Quænam sit pars, in qua majorem vim causa expresserit; cujusque partis similitudinis, originis, officii-que ratione, consensus meditandus. Sic pariter ætas, solidorum stabilitas, virium status, totum causæ signifi-

nificativum, auxilia medica exercenda, fibrarum ad criticos motus constantia, viarumque ad secretiones dispositio, cetera alia meritò pensanda, ansam præbent, ut reflexivum, circumspectum, prudentèrque securum judicium de futuris eventibus depromatur. Nequè an huic febre alius morbus præcesserit, hujusve morbi exterminium per metasthasim factum fuerit, omittendum: hac enim de causa Hipp. sequentia scripsit: *Occasiones undè, & quandò quis egrotare cæperit, consideranda.*

Ad res non naturales, naturaliumque recessum omnes cogitationes referre expedit; maximè autem ad aerem, hujus enim puritas felicem ad exitum perducit, uti è contra. Quod confirmat Hipp. lib. de natura humana dicens: *Morbi verò fiunt partim à vivendi ratione, partim ab spiritu, cujus ratione vivimus.* Idemque tenet Gal. lib. 9. method. ubi ait: *Aer est sine quo neque morbus tolli, neque sanitas tueri potest.* In totius etiam perypheriæ colore oculos figere oportet, quoniam ex hac reflexiba inspectione liquidi dominantis species multoties deducitur, uti docet Gal. in coment. lib. 6. de morbis vulgaribus, & in coment. 3. lib. de humoribus per hæc verba: *Solet enim plerumquè color indicare humorem viciatum: prætereà omnis malitia succorum totius corporis colorem immutat, ut in morbo regio, aqua inter cutem, elephantiasis, &c.*

Inter res, quibus Medici prudentia arrectis auri-

bus debet operam dare, ut simul cum reliquis notabilibus firmum iudicium efformet, ægri decubitus haud minimum locum obtinet; circa quod Prosperus Alpinus, lib. 3. de præf. vita, & morte, cap. 2. fol. 48. sic profert: *Ubi itaque plurimum ipsa anima in corpore valet, optimos decubitus expectamus, eaque perlanguente pessimos.* Variis etiam in locis legi optimum esse decubitus, *veluti quis solitus fuit decumbere*; decubiti autem bonitas communiter stat in eò, quod ægroantis corpus facile convertatur, & in his, quæ se offerunt, alacre sit, discumbat, stet, membraque sustineat; hæc enim omnia nervorum robur, spirituumque nedum copiam, verum & ipsorum luminosam spirituscentiam, ætherei spiritus ope assequutam, ostendunt: è contra, decubitus rectè valentibus dissimilis malus erit; quapropter si ægri decubitus languor, debilitas, gravitasque, comitentur, funestè prædicendum erit.

Plerumquè his in febribus surditas advenit, statimque pro bono signo imprudenti securitate admittitur; siquidem in practico exercitio aliquibus in febribus, surditate occurrente spreta, ægros absque spiritali præparatione de medio sublato fuisse, sæpè observavi: quapropter maxima cum meditatione Medicus surditatem concomitantia advertat; quandoquidem ab his pravitas, signive bonitas educenda est.

Varia apud Hipp. & Gal. circa surditatem, febribus

bus occurrentem legi; undè surditatem cum langore, & actionum hebetudine, malam esse deduxi; de hac enim mentionem faciens Hipp. sic loquitur: *In febre continua, si non videat, vel non audiat, jam debili existente corpore, mors proxima est.* Si surditas occurrat præsentis aliqua vacatione, quæ jubare debebat, & nedum non jubat, verum in pejus æger se gerat, pessima est. Surditas post vacationem sequuta, nisi vacationis copiâ proveniat de genere signorum læthaliū tenenda. Si cum urina cruda, biliosaque tincturâ orbatâ eveniat, delirium expecta: verum hoc aliqua cum restrictione capiendum; quoniam surditas critica in perturbatione excitata non semper est mala: siquidem quotidie experimur, deliria, vigiliæ, anxietates, dolores, inquietudines, aliaque huiusmodi, quæ ex se mali moris symptomata sunt, futuram crisin antecedere, quo casu liquidorum motum tantum significant; quod omne aliquandò potest surditati competere: uno verbo, surditas aliis cum signis judicatoriis eveniens judicatorium signum certius erit. Sic observavit Hipp. 3. epidem. in virgine Abdereta, in qua ab octavo die usque ad decimum septimum, in quo multum sanguinis è naribus fluxit, protracta est.

Ex rebus, rectam harum febrium terminationem insinuantibus, inspirationis, spirationisque actio, *respiratio* nuncupata, omittenda non est; quandoquidem benè, aut malè ægros spirare in morbis ad bonum,

malumve exitum, multum facit ex Hipp. 1. prog. textu 25. dicente: *Spirationis autem facilitatem existimari oportet, per quam magnam vim habere ad salutem in omnibus morbis acutis, & in his, qui quadraginta diebus terminantur.* Bona respiratio pulmones, cor, thoracem, septum transversum, pleuram, vasa majoris usus, omniaque membra respirationi inservientia, à labe vacare, demonstrat; aliquo enim ex assignatis membris læso, difficile est, ægros optima respiratione frui; idcirco bona spiratio, pulsu valido existente, ægrisque ad ea, quæ offeruntur, benè se habentibus, adhuc in moribundis salutis spem pollicetur: quapropter benè spirare in febribus continuis semper bonum; è tamen contra, malè spirare semper malum, aliquodque ex dictis membris læsione affici, denotat.

Mox occasio se offert, ut ad hujus febris causarum inquisitionem accedamus; tanti enim momenti est maturatione, reflexivaque causarum inquisitio, ut dignostico causarum fomite detecto, cujuscumque morbi auxilia, indicationesque curativæ manifestentur: qua de causa Gal. lib. de caus. sympt. hæc scripsit: *Non solum satis esse Medico læsas operationes, verum etiam omnes affectrices causas cognoscere.* Quin obstat Sidenamium hæc in suo præfatio scripsisse: *Atque ut impossibile sanè est, ut Medicus eas morbi causas ediscat, quæ nullum prorsus cum sensibus habent comertium, ita nequè est necesse; abundè enim sufficit, ut sciat, undè immediate oritur*

malum, ejusque symptomata, ut inter hunc morbum, & alium, accuratè valeat distinguere. Aliud enim est, admodum esse difficile, cujuscumque morbi causas adipisci, & alium ipsarum inquisitionem necessariam non esse; causarum enim acquisitionis difficultas omnibus obvia, siquidem Virgilius, hoc meditans, sequentia scripsit: *Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.* Causarum autem investigationem necessariam ex graviorum Medicinæ Authorum sententiis, consiliisque, haberi, rarus ex Physicis dubitavit: qua de causa Hipp. lib. de affectionibus sequens consilium scripsit: *Cum ad ægrotum devenias, interrogare oportet, quæ patitur, & ex qua causa, & quot jam diebus, & an venter secedat, & quo victu utitur; an morbus à bile, aut pituita factus sit, aut utrisque.* Ipsemet Hipp. lib. de flatibus hæc habet: *Causa morborum quæ sit, & quod principium, ac quasi fons, ex quo corpori mala scaturiunt, scire convenit; hoc est enim judicium expertus, ne quis sit, an omni experientia carens.* Et eodem lib. de flatibus: *Causas corporis affecti si quis probe cognoverit, potens est valdè ea adferre, quæ corpori commodent.* Et in lib. de morb. mulieb. *Causas, ex quibus morbi fiunt, exquirere, & morborum vires considerare.*

Nequè Hippocrati causarum rectæ acquisitionis difficultas præterlapsa fuit; siquidem lib. de aliment. hæc adnotavit: *Aliæ manifestæ, aliæ obscuræ, aliæ possibiles, aliæ impossibiles.* Gal. etiam lib. 2. de facultati-



ratibus naturalibus cap. 9. hæc scripsit : *Causa morbi cognoscenda ei, qui rectè curare volet.* Et in eodem libro : *Causarum inquirendarum fructus, atque utilitas, ut qui intemperamentorum causas noverit; is ad naturam suam ea reducat.*

Quaproptèr, philosophico ordine non oblito, quatuor causarum genera in hujus febris constitutione, efficientem scilicet, formalem, materialem, & finalem, investigare est necesse. Quæ ut obvia fiant, aliqua circa feri, lymphæve historiam præ manibus habere, necessarium censeo. Circa harum febrium causam efficientem, nedùm inter Antiquos, verùm & inter Neotericos, variæ, doctissimæ tamèn, controversiæ emergunt. Alii ad putredinem, Alii ad effervescentiam, Alii ad quoddam suppositum fermentum, Alii ad Animam rationalem, Alii ad spiritum æthereum confugiunt. Quæ omnes opiniones æqualem ferè impugnationem sortiuntur; verùm quia omnes physicis principiis enixas agnosco, in nullam irruere mihi placuit.

Licèt practicam in theoria fundare consonum rationi sit; quia tamèn nunquàm de quovis dubio certiores, quam experiendo evadimus (teste Doleo) theoriam circa efficientem hujus febris causam è praxi consulere, re vera alienum à ratione non judico. Licèt quovis in tempore prædictæ febres experiantur, nihilominùs hiemis tempore frequentiores videntur;

quo quidem tempore diversitas in aere propter diversas ventorum tempestates in operandi modo inducitur; æther enim in prædictis aeris turbationibus, diversis atomis, corpusculisque nitrosis conquisatus, suas vires inæqualitèr exprimit; ob quod nedùm motus tonicus, verùm & sanguinis progressivus, quoniàm magnam alterationem patitur, in suo tendendi modo inæqualitèr observatur. Idcirco, quoniàm à progressivo sanguinis motu omnes humani corporis secretiones, excretionesque dependent, *Spiritum æthereum* (vitalium motuum Authorem) pro causa efficienti positivè privativa agnoscere placuit; *aliasque particulas nitrosas, quibus aer saturatur*, causam privativè positivam efficientem esse judico. Clariùs, aer particulis rigidonitrosis saturatus, spirituque æthereo aliquantispèr orbatus, pro causa efficienti hujus febris externa tenendus.

A sanguinis progressivo motu humani corporis secretiones, excretionesque serosæ, vel lymphaticæ substantiæ provenire evincitur; pro his enim exemplis mechanis vim sufficientem non esse arbitror; imò superiorem impulsum necessarium judico, uti ex cordis arteriarumque motu evincitur, in quo præter mechanica instrumenta impulsu, causave efficienti est opus, ut perficiatur. Huic discurrendi modo fovet Jungeri opinio, tom. 2. tab. x. in sua Physiologia de secretionem, fol. 103. per hæc verba : *Quemadmodum*

*motus vitales, licet per organa mechanica fiant, superiorem tamen causam, motorem nimirum, semper exposcunt: ita à solo mechanismo non expectamus materialiarum excernendarum selectionem ad destinata colatoria ad pulsionem, secretionem.*

Ex utilitatibus è sanguinis progressivo motu sequitis, liquidorum secretiones, excretionisque à ple-risque Anatomicis anumerantur; cui etiam asserto cedit doctrina mihi sacra, & à quamplurimis merito tenenda, mei antea, nunc, & semper dilectissimi, veneratique Magistri D.D. Michaelis Borbon (à quo licet non prima Medicinæ cunabula, selectiora hujus scientiæ præcepta adquisivi) in suo sum. vit. diff. de progress. sanguin. motu per sequentia verba: *Sexta utilitas, quod media circulatione congruè fiunt ex sanguine humorum, tam usum præstantium, quam inutilium, separationes, & segregationes.*

Nequè obstat exemplum de criba diversimodè perforata; de quo exemplo constat, particulas triangulares per triangulare, rotundas per rotundum, sphericas per sphericum foramen filtrari; hoc enim pororum cum secernendis particulis configurationem maximè importare probat; præcipuè in solidis, de quibus ad fluida æqualem non servari paritatem, censeo: quin dicam de foraminibus rebus secernendis amplioribus, in tali enim casu nedùm triangulares, quadratæ, rotundæ, sphericæ, sive cylindracæ, sed & qua-

libet, quavis configuratione prædita, particula per prædicta ampliora foramina secernetur. Præterquamquod solida motus tonici ope satis laxantur, & liquida motus intestini vi nimis atteruntur; undè particularum figuram non semper proportionem cum poris servare, credo. Quæ omnia ad nihil aliud conspirant, nisi ut spiritum æthereum, utpotè causam primò primam sanguinis progressivi motus, & omnium secretionum, excretionumque humani corporis liquidorum, efficientem causam esse agnoscam, & consequentè ab isto hujus febris efficientem causam saltim probabiliter indagem; omnes etenim (uti dixi) opiniones, sicuti & hæc, vim impugnationis patiuntur, quandoquidem in rebus abstrusis congruentiæ rationem invenire, Philosopho fat esse, arbitror.

Particularum, sanguinis crasim constituentium, agitatio, conturbatioque, & concitatio spirituum impetus, ab acidi vellicatione in nerveis fibris excitata, dependens, pro formali causa à quamplurimis admittitur. Causa proxima materialis computatur lymphæ, particulis acido-salinis nimis saturata, vel diversis salibus fixis præcipuè imprægnata, nimis viscida redita; sic enim constituta, per vasa chyli ad massam sanguineam vitiosè delata, nedùm, ut benè constituta, sanguinis vehiculum, quod debebat esse, non est; verùm extraneis salibus vitiosè adintegrata sanguinis crasim invertit, ejus motum turbat, immo-

dicamque nerveis fibris oscillationem inducit; qua ex causa natura præmitur motibus secretoriis, excretoriisque, pro necessitate auctis, ad talium heterogeneorum salium, quibus lymphæ vitiosè adintegrata fuit, expulsionem tentandam, atque in hoc tota hujus febris formalis ratio enixa videtur.

Pro finali hujus febris causa assignanda, aliqui (meo videri) summi operis molem subeunt; quam plurimi enim, febrem morbum semper esse, affirmant, cumque morbus defectus, imperfectiove sit, & imperfectionis ratione nullum agens operetur; hinc febrem hanc finali causa orbatam judicant. Ita Vall. lib. 4. controv. 3. Mercat. tom. 1. lib. 3. p. 1. Simon à Camp. & Santorel. in antipraxi.

Omnes equidem in suo opinandi modo probabilitatis terminos attingunt; verum ego, qui febres formaliter pro formali raro morbi rationem obtinere sentio, finalem hujus febris causam agnosco, dicoque esse *expulsionem lymphæ præternaturaliter constitutæ, partibus vitalibus, tam fluidis, quam solidis, corruptionem inferre potentis*; propter quod, antequam hoc ita eveniat, mechanicis instrumentis benè se habentibus, corruptionem prohibere natura conatur, ut corporis, & vitæ perennatio sequatur.

Ex antecedentè dictis constat, quod, tametsi febrem ferosam catarrhalem absque apparatu mesenterico, invenire possim, nihilominus has ferosas febres,

lym-

lymphaticæve dictas, frequentissimè cum cacochymia in primis viis contingere, expertus sum, & re vera abs re non est; nam, si fontem, scaturiginem, radicemve causæ materialis scrutari velim, undè lymphæ aciditatem, acrimoniam, vel viscositatem adquirat, & cur hoc ita eveniat, ad ventriculum, tamquam ferè omnium morborum radicationis subjectum, accedere oportet.

Ex prima etenim coctione evenit, lympham vitiosè generari, vel quia quantitate excedit, vel quia qualitate peccat, dum nimis copiosa, nimis acida, nimis salsa, aliove quovis modo ejus crasis invertitur. Nimis copiosa generatur lymphæ, dum potulenta substantia majori quantitate summitur, quam pro alimentorum vehiculo, & dilutione requiritur; vel quando tanta est, ut exurini stomachalis fermenti vires infringat; hinc enim, quia chylus aquosior, & sanguis ferosior emergit, nimium gignitur, quod re vera in radice lymphæ convenire, existimo. Majori in quantitate, dixi, de potulenta substantia; nam si agens stomachi naturale hebetum sit, quod potest variis de causis evenire, adhuc potulenta substantia, quæ, valido isto existente, moderata esset, in hoc casu vitium in quanto lymphæ gignendæ inducet. Serum cum lymphæ in radice convenire, dixi, quia materiæ ferosæ, lymphaticæve analysi facta, idem liquor apparet; & apud celebres

Prac-

Præcticos sæpissimè legitur *lymphæ*, sive *serum*, ut videri est apud meum Præceptorem D. D. Michaellem Borbon, diff. 4. p. 2. cap. 3. fol. 301. ubi hæc ait: *Cum lymphæ, sive serum sequestratum.* Idem ex Etmulleri sententia deducitur, qui de catarrhalibus affectibus agens, hæc scribit: *In hoc non culpandi sunt Veteres, quod serum statuerint materiam catarrhorum, utut lymphæ vitiosæ Moderni hoc adscribant; nam serum Veterum collectum; quod Helmontio dicitur latex aquosus, seu humor neglectus propriè loquendo Modernorum est lymphæ, & re vera in radice conveniunt.*

Sed ad rem redeo: lympham, vitiosè vel aciditate, acrimoniâ salinâ, viscositateve affectam, à prima digestionè, in stomacho facta, generari adstruo; digestivo enim fermento debili stante, principiorum activorum carentiæ ratione massa chylosa, quæ prædicto fermento valido existente, subacida, suavis, saleque virgineo probè saturata emergit, uti tunc etiam serosa substantia eisdem principiis adintegratur, flatuosa, sale virgineo orbata, nimisque acida resultat; hincque lymphæ, serosave substantiæ silvestribus salibus saturatur, ex hacque saturatione varia vitia emergunt.

Quod omne ab his, quæ acidi exurini stomachalis vires infringere valent, quærendum, judico; ad quod etiam rerum non naturalium usus, vel, ut propriùs loquat, abusus summoperè facit, præcipuè autem aer; nam si hic sale virgineo saturatus sit, omnia humani

corporis (supposita, vel admissa) fermenta suas vires optimè exprimunt; hincque chylicatio, sanguificatio sequestrationes, distributionesque, æquibriali tono conficiuntur; quod omne è contraria aeris constitutione è contra evenit; siquidem inversa chylicatione, sanguificatio chylicationis inversioni respondet; ex prava etenim alimentorum digestionè materia chylosa, nec benè dissoluta, nec benè fermentata, nec volatilissata emergit, imò pasta viscido austera, plus, minusve viscida confurgit; hincque infelices transitus de intestinis ad lacteas pro sanguificatione sequuntur.

Quotidiè remanent materiæ chylosæ, quæ malæ configurationis ratione, dictam ob causam acquisitæ, per prædictarum partium poros benè permeare nequeunt: qua de causa & meatus sensim impinguntur, & obstructions, apparatusque mesenterici generantur; stagnataque prædicta materia, particulis salinovolatilibus, & sulphureis orbata, acescit; itaque constituta ineptior ad motum fit, hincque visciditatis vitium oritur. En quomodò lymphæ prædictos à sua debita crasi recessus adquirat, & consequentè prædicti primis ex viis præternaturales eventus serosam, catarrhalemve febrem, producere possint.

Sicuti inversæ chylicationi inversa sanguificatio respondet; sic ex prædicta inversa sanguificatione lymphæ vitiosè constituta difficilem adquiret elaborationem in glandulis conglobatis, in quibus juxta ali-

quorum placita tamquam in particulari ventriculo elaborari, percipique creditur, ut, per destinata loca filtratione sequuta, fines à natura intenti flacidè assequantur: è non consummata prædictis in glandulis lymphæ elaboratione evenit, quod quælibet externarum causarum, aeris præcipuè heterogeneis saturati particulis, injuriæ præsentia tantùm agat, ut statim catarrhales serosæ materiæ defluxiones variis in partibus filtrationi subjectis experiantur; quod non ità frequentèr evenit à prædictæ injuriæ præsentia his, quibus congrua lymphæ elaboratio destinatis in viis obtinetur.

Variis, dixi, in partibus filtrationi subjectis; nam, licet admodùm probabile sit, plerasque defluxiones catarrhales è capite provenire, è quòd organum hoc plurimis, & quasi continuatis glandulis, tam conglobatis, quàm conglomeratis, adintegratum sit, ceribrique cortex minutissimarum glandularum textura (ut optima ex Anatomia constat) censeatur, in cerebrique medulla copiosas glandulas locis cerebro vicinis, oculis, faucibus, laringe, auribus, collo, asperaque arteria, Anatomici ostendant, ab hisque partibus serosæ defluxiones ad pulmones, pleuram, ventriculum, intestina, &c. deferri possint, quod omne nedùm ex optima anatomica observatione, plurimisque Practicis, verùm & ex quotidiana experientia constat, hincque quale serosa materia sanguini, nerveisque fibris, stimulum inducat, talis esse debeat sanguinis conturbatio,

rio, motus, secretiones, excretiones, & consequentèr, febris, rationi consonum perpetuò non est; è quòd variæ sint partes extra prædictas glandulas, per quas lymphæ, serive filtratio sequatur. Nec perpetuum judico illud *ubi glandula, ibi secretio*; quoniam reperiuntur glandulæ, è quarum textura, nullatenus creditur, secretionem evenire posse: qua de causa à celeberrimis Practicis glandulæ conglobatæ, conglomeratæ, vasculares, & vexiculares distinguntur. Ita Pascoli, Borbon, &c.

Quaproptèr advertendum venit, quod sicut lymphæ per aliquarum glandularum (conglomeratarum præcipuè) poros, vel vascula, filtratur, & secernitur; sic per extremarum arteriarum poros pelliculas fecerri potest; extremæ etenim arteriarum partes molliores, à pulsu vacantes, & succi pleniores, animadvertuntur: unde per prædictarum pellicularum poros lymphaticum rorem, ut muscutorum fibræ nutriantur, percolari, probabiliter censeo: hac enim de causa plures in praxi absque defluxione è capite serosæ, lymphaticæve substantiæ, catarrhales febres experiantur; siquidem eadem ratio militat, ut aer vitiosè constitutus suas vires in cerebri, vicinarumque partium glandulas, quàm ut in cordis peripheriam, exprimat: nam curis texturam invertendo, exilissima vascula rigidis particulis saturatus comprimit, & consequentèr lymphatici succi secretio invertitur, ex qua inversione

aliquam lymphæ morositatem acquirit, hancque morositatem stagnatio, vapiditas, & corruptio, sequuntur; hisque ex eventibus præternaturalis aciditas, acritudo, nimiaque salium exaltatio provenit, ita ut, sanguinis moleculas agitando, nervearumque fibrularum stamina oscillando, ejus circulum taliter invertat, ut inde nimia vitæ custodiendæ incommoda sequantur, quæ, ut præcaveantur, coacta natura mechanismi vi motus vitales per systolem, & dyastolem accelerat, ut hinc, secretionibus necessitate auctis, sanguinisque progressivi motus ope sequitis, per hoc, quod nomine febris à quamplurimis intelligitur, à talium stimulantium præsentia liberetur. Quænam, quæ prædicta sequuntur, incommoda sint, pro nunc præterlabi placuit; siquidem in hujus febris curatione, licet non omnia, ea saltim, quæ in usu practico frequentiora se offerunt, explanabuntur.

Antequàm hujus febris curatio instituat, multa præ mente habere necessarium censeo. In primis, patientis constitutio, consuetudo, modusque utendi in rebus naturalibus, & non naturalibus, pensitanda sunt. Hoc voluit insinuare Hipp. inquiens: *Consuetudo, dum sani fuimus, attendenda, qualis in victu, vestitu, laboribus, somno, rebus venereis, & mente fuerit.* Ante omnia diæta ægro imperanda, quæ optimi cibi, & potus dosi, optimaque distributione per determinatas horas, morbi ideæ suis in motibus satisfaciente, perficitur.

An

*An diætâ crassâ, tenui, mediocrive utendum sit, ex ipsamet morbi idea deducendum: cum itaque febres istæ de genere peracutarum non reputentur, mediocri diætâ utendum esse, sentio. Hæc reflexio in curatione tanti momenti est, ut Santorium sequentia scribere, fol. 151. cap. 7. cogeret: *Quantum nutrimenti sit dandum, quando, & qua hora, in quem modum sit parandum, & ubi: hæc sunt exactè expendenda, quia ex horum inscitia quotidie pereunt innumerabiles ægrotantes, qui sine medicamentis possent quoque ad sanitatem pervenire.**

Optima ergo proportionata diætâ, debitisque circumstantiis servatis in rerum non naturalium usu; causæ materialitati, formalitati que oppugnare debetur: quæ ut rectè affequantur, maturo, reflexivoque judicio procedendum. Ab ipsamet febris idea in modo tendendi, in exacerbationibus, in ejusdem progressibus, in explicationeque, à motu particulari tonico insinuatâ, deducere, necessum est, nedùm lymphæ recessum, verùm & quos in sanguine eventus producat; non enim abs re sequentia Paracelsus hortatur in com. aphor. Hipp. *Notate igitur, periodos, paroximos, & accessiones omnes esse naturæ iram, ejusque furorem; cum aliud genus iræ sit periodus, aliud accessio, aliud paroxismus orta ex offensionibus, quas natura à morbo pati cogitur, aut morbus pati cogitur à natura.*

Cognoscetur ex diætis, an lymphæ quantitate re-

P 2

ce.

cedat, an qualitate, an ne cacochymiam primis in viis paratam inueniat. Si lymphæ solum quantitate recedat, febris mitis apparet, calor non nimis acer, imò tepidus, nec siti cruciantur ægri. Quantitati evacuatio satisfacit; sed quia non omnes evacuationes omni morbo conveniunt, sed cuique suæ propriæ, unde tales debent fieri evacuationes, quales morbos judicare solent, teste Vallesio: lympham quantitate recedentem, certò producentem, conservantemque stimulum, à febre significatum, per blanda sudorifica, dyureticaque, conferentèr evacuari, methodicè judico.

Nec leve exhibere purgans indicationi opponitur, præsertim si aliqua in lingua saburra animadvertatur; quia juxta celebres Anatomicos, tametsi vasa lymphatica è partium substantia progrediantur, potest nihilominus lymphæ per intestinorum glandulas commodè evacuari. Hujus eventus rationem exprimit Fridericus Hoffmann. lib. 1. sec. 2. cap. 3. de lymphæ, fol. 98. his verbis: *Quia vasa lymphatica ex substantia partium nascuntur, quæ ibi subsistentem in aquosum partem revehunt; hinc dari ratio potest, quare ab usu fortiorum purgantium, vel dyureticorum, in cachecticis, copiosum humidum ibi subsistens in hos canales resorveri, & per intestinorum glandulas expurgari possit.*

Quemadmodum è capite, ejusque glandulis, in asperam arteriam, pectus, pulmonesque, lymphæ dilabi potest; sic per œsophagum ad ventriculum, &

intestina descendere, ibique detenta varia producta morbosa efficere valet; quoniam ex lymphæ morâ in dictis partibus variæ fermentationes, hincque effumationes, suscitantur: quo in casu evacuationem, pharmaci purgantis ope intentam, à conferentiæ legibus non procùl abesse, censeo; quin sitis, oris siccitas, linguæque nigredinis aspectus, obstrigillent, cum hæc dicta à memorata radice orientur. Suffraganeus se offert Santa-Cruz de inped. magnor. auxilior. lib. 3. cap. 12. *O quot genera febrium sortiuntur causam existentem in latibulis hujus primæ regionis, &c.* Et fol. 202. ejusdem cap. *Certum est, multoties esse linguam aridam, & nigram, quia tunica ventriculi tantoperè distemperata, & fuliginibus nigris ex ipsomet ventriculo, & aliis partibus primæ regionis elevatis, linguam aridam, & asperam, & nigram, reddere valet.*

Quod si lymphæ nimia aciditate prædita fuerit, nimis viscida redditur, ineptiorque ad motum experitur: hinc è lymphæ inversa textura innumera in febribus incommoda, & ferè incredibiles eventus in praxi fortiri, credendum, quæ altè meditans Lecmort de nobilitate chimicæ sequentia scripsit: *Lymphæ princeps ministerium possidere nostræ economiæ faustos, vel infastos affert successus, ubi intra terminum suæ mechanicæ constitutionis partiù balsamicarum retinetur, vel extra eosdem ejicitur. Lymphæ acidâ, viscidâ, ineptiorique ad motum jam redditâ, fibræ nervæ, quibus*

glandulæ conglobatæ adstruuntur, nedùm impetum, ut lymphæ transitus ad Cor celeretur, non acquirunt, verùm talis lymphæ præsentia prædictarum fibrarum elasticitate amissa, circa ipsas glandulas lymphæ subsistit, earumque porulos obstruit, ibique debito motu orbata, vapescit, corrumpitur; disrupto autem lymphæ motu ad Cor, debitam sanguinis fluiditatem à lymphæ, ut per minima possit capilaria vascula transire, imminui, valdè est compertum.

Varii morborum progressus, quotidie in praxi animadverti, beneficia, incommodave, ex lymphæ regulari, vel inverso motu, sequuta, non nebulosa luce conspiciuntur; pro quo tamèn de viscerum saltim anatomie aliqualem rationem habendam esse, inexcusabile iudico; hac enim de causa Mangetus in prælim. bibliothec. anatom. tom. I. sequentia scripsit: *Anatomie est facultas, quæ una cum aliis Medico necessariis, illum instruit, & dirigit ad cognoscendum machinas, & modum, quibus utitur natura in statu sano, & morbo: ideoque illum deducit in cognitionem ægritudinum, earumque causarum, & si adsit occasio, tum docet remedia præscribere, à priori indicationes desumendo, vel ægrum cum solo prognostico deserere.*

Præsentem equidem in sæculo celeberrimam à celeberrimis Practicis anatomice assertiones elucubratae fuere, tantummodò, quòd felix ut assequatur curatio tyronibus impetranda, præterlabi nequeat, quorum,

& ego, vestigia sequendo, necessaria, licet breviter, pro dictorum, & dicendorum intelligentia, anatomicè insinuabo: primùm autem, ut incommoda ex inverso lymphæ motu innotescant, notandum venit, lympham è peripheria per lymphatica vasa ad chyli cisternam adductam, ut sufficientem fluxibilitatem chylus acquirat, illeque lymphæ vehiculo ad ductum thoracicum ascendat, & in vena jugulari sanguini mixtam, ut ipse sanguis progressive moveatur, dilutionem præstare.

Notandum etiam est, vasa lactea nedùm ad chyli in sanguificationis locum transitum esse, verùm & ut lymphæ per ipsamet vasa lactea transitus concedatur, quod sequentibus Jungeri verbis evincitur: *Deindè observatum est, quòd vasa lactea vera quoque sint vasa lymphatica officio duplici fungentia, quia peracta chyli secretionem, & distributionem, sinceram aquè lympham unicè continent, ut adeò sola circumstantia temporis, quo chyli digestio, & secretio fieri consuevit, ipsis lacteorum impertiverit nomen.*

Denique notandum est, lympham, ut sanguis per universum circulare possit, necessariam esse; nec non & etiam, ut lymphæ usui, ad quem à natura est destinata, perfectè auscultet, in prima animalium formatione provida vasa, lymphatica nuncupata, tali fibrarum textura, tono, & conformatione, vi cujus motus naturales, his vasis proprii, & lymphæ motui progressivo inservientes, ut mirabilis eorum armonia testatur, con-



cinn avit. His breviter notatis, non erit difficile methodum rationalem instituere, ut morboſis eventibus à lymphæ inverſo, perturbatoque motu, à nimia, lympham invertente, aciditate orto, oppugnare quilibet poſſit: qua de re, optima in naturalibus, & non naturalibus, instituta ratione, ut motus lymphæ modificatio aſſequatur, ejus craſis poſſibili energia corrigenda venit, cujus finis aſſequutio in aciditatis deſtructione nititur; propter quod in ipſo alimento aliqua ſalinis prædita principiis miſcenda veniunt: uno verbo, quæ per acida coagulantur, per alcalica diſolvuntur.

Ex regno itaque animali, vegetabili, & minerali, omnia erunt appropriata auxilia, quæ ſcindere, volatiliſare, ſpiritualeſcentiamque ſanguini, & lymphæ inducere valeant, uti omnia, quæ ſale volatili imprægnata fuerint, quibus mediis acidi extirpatio aſſequitur, & lymphæ una cum ſanguine viſcoſitatem, vapidiſſimam, ſegnitiemque ad motum amittet. Ex regno animali uſitatiora ſunt perdices, viperæ, ſanguis hirci, ebur, & C. C. &c. Ex vegetabili carduus benedictus, ſcabioſa, blugofa, lapa major, lignum guajacum, lignum ſaxaſtras, &c. Ex minerali antimonium dyaphoreticum, & martiale, nitrum ſtibiatum; ſpiritus fuliginis, ſpiritus ſalis armoniaci urinoſi, &c.

Ex his vegetabilibus lignum ſaxaſtras ad ſeri, lymphæve, corrigenda vitia natum fuiſſe, videtur; ſiquidem aromatico ſale, quo pollet, aciditati opponitur,  
lym-

lymphaticas vias abſtergit, primæ digeſtionis valde eſt auxiliatrix, ſolidorumque inverſiones, viſcidæ lymphæ præſentiâ adquiſitas, elegantè tollit: quapropter pluriès in praxi ægris, lymphatica febre correptis, præſentem potum præſcribo. Re. Syr. altheæ Fernellii unc. ij. roſoſachari unc. j. decoct. ligni ſaxaſtras, & flor. cordial. lib. j. ſpirit. ſal. armoniac. urinoſ. gut. xij. me. pro duabus vicibus. Hujus generis multa poſſunt præſcribi, quæ quidem, egri conſtitutione, morbi tempore, ſymptomatum complicatione, alijsque præſentibus uſui pratico neceſſarijs circumſtantijs, judicio theorico-practico attentis, feliciùs præſcribuntur. Pro potu verò uſuali forti decocto ex raſuris CC. utor.

Quòd ſi lymphæ aciditas cum primarum viarum cacochymia ſociata fuerit, variæ liquidorum inverſiones, implicationeſque emergent; quo in caſu lymphæ aciditas nimis ingens judicanda: ſiquidem necdum ſanguinem, auſteritatem inducendo, implicari cogit, & bilem, activa, quibus adintegratur, principia deſtruendo, evetare, concreſcereque facit: verùm & ſolidorum ſuperficies invertendo, innumera incommoda inducit: tuncque, ut indicationes optimè educantur, animadverſione alienum non judico, prudentè conjectare, an prædicta lymphæ aciditas cauſæ efficientis vires obtineat ad cacochymiam producendam, vel materiarum chyloſarum crudarum, indigeſtarumve, cumuloſa congeſtio aciditatem promoveat? Primo in ca-

fu tota, aut major Medici attentio in aciditatis destructione versabitur; advertendo, quod è purgantibus clementer moventibus nihil, aut parum effectus sortietur, aciditas enim salinas purgantium particulas infringit, obtunditque, qua de causa auxilia anti-acida vi gaudentia purgantibus misceri debent.

Secundo in casu cacochymiae status meditandus venit: meditari enim oportet, num qualis cacochymiae recessus, talis sit ejus copia, an possit, vel non, à natura elaborari, & an elaboratione sequuta tuto evacuari queat, vel non; num è tali cacochymiae praesentia plus, minusve periculosi possint eventus fortiri: quam, vel quas primarum viarum partes occupet, quibus ex partibus, cacochymia conspurcatis, consensus cum alijs originis, officij, & similitudinis ratione adsit, ut quoad possibile morbofi eventus praecaveantur; num aliquae in fieri, vel in facto offensae determinatis in partibus prudenter suspicentur; virium status maturo examine meditandus; an cacochymia cum plenitudine complicetur, an ne ipsamet cocachymia plenitudinem efficere sit potens.

Si cacochymia in cruditatis terminis constituta sit, possibili energia digestivis, concoctoriisque auxiliis utor, ut correctione per debita auxilia sequuta, tuto evacuari possit: *Concocta medicari oportet, atque movere, non cruda, nisi materia turgeat*, ex Hipp. Aph. 22. sec. 1. legitur: evacuatio etenim materiae crudae

pro.

prout plurimum prudenter timenda; quoniam halitus tetri exhalantur, visceraque hoc dictorum halituum exhalationis tempore offensionis vim patiuntur, quod plus, minusve ita evenit, ut potè recessus materiae classis obstiterit.

Quod si cacochymiae aspectus talis fuerit, ut pericula de ejus existentia suspicari queant; ejusve moles talis sit, ut pro virium tenore ejus coctio difficultè expectetur; his in casibus clementi pharmaco expurgandum est: primo in casu, ne vitium talis humorum aspectus aliqua in parte sigillationem inducat: secundo in casu etiam debet per leniens pharmacum expurgari; natura enim, ab humorum sarcina sublevata, melius in aliorum humorum correctionem, elaborationemque intendit: praeterquamquod dictis in casibus praedictorum humorum evacuatio, cacochymiae correctivi nomen meretur; hocque voluit insinuare Etmullerus institut. med. hygiæ, & therapeutica, cap. 5. de cacochymia corrigenda: *Per evacuantia emendatur cacochymia, quando id, quod heterogeneum est, adeoque vitiosum, nec reliquis miscibile, nec ritè corrigibile, extiterit, adeoque, vel quanto, vel quali, corpori inimicam fuerit.* Quin obstat timor pannicus in expurgando cruda existente materia, ut apud Vall. lib. 4. meth. videre est per haec verba: *Non movenda cruda hominum est rudiorum, qui aliorum dictis sine judicio additi sunt.* Quasi diceret, nostrum Hipp. antecedenti in textu non

Q2

fuit.

fuisse loquutum de succis crudis tali mole, ut virium pensum suppeditarent, sed de succis crudis attenda virium consideratione: propterea antecedentè notavi, virium statum examinandum fore; an ne solida fibrosa optima structura prædita sint, optimoque tono fruuntur, ut auxiliorum ope transversæ fibræ elasticitatem servantes, à levi stimulo oscillatione inducta, in eruptionis actum propria ipsarum compressione irruant.

Ad humores noxios, primas vias occupantes, conferentèr eliminandos, speciali peculiaritate auxiliorum electio fiat, meditando, an faciliùs, & loci ratione meliori conferentia per vomitum educi valeant; quandoquidem feliciores exitus ex evomitione, quàm ex evacuationibus per secessum factis, aliquando in praxi animadvertantur: quod expressè insinuavit Petrus Michael Heredia in dis. de feb. erradic. difficil: *Illud autem ignorare non licet, nimirum, quod morbi plurimi, nisi vomitoriis erradicentur, incurabiles sunt alio quovis auxiliorum genere.*

Causa igitur materialis, quæ ventriculi fundo, duodeno, & jejuni principio hæret, laxantium purgantium vires contemnit; prædictas etenim partes fibris, optima elasticitate orbatis, adstrui, ex anatomia constat, confirmaturque Hoffmanni opinione, dis. 4. de usu anatomico in praxi, fol. 53. *Undè in praxi illud intelligi potest, salina purgantia, & quæ clementèr alvum provocant, nihil in ejusmodi morbis proficere, ubi moles*

*acida, vel biliosa materia ventriculi fundo, duodeno, jejuni que principio insidet, quipè hæ partes sensu hebetiore prædita stimulos ejusmodi remediorum non sentiunt.*

Hæc igitur de solidorum structura anatomica reflexio tantum interest, ut rarò possit curatio perfici, de solidi ratione indicatione neglecta: quod summè callens doctissimus Vall. lib. 3. meth. fol. 193. sequentia scripsit: *Sensus quoque partis, aut hebetudo multum facit curationem evariare, nam quæ acris sunt sensus, facile irritantur ab acris, quæ hebetis non ita.* Hoc ipsum voluit insinuare, Gal. lib. 4. de usu partium: *Indicatio à partibus desumpta addenda est supra omnes, & reliquas indicationes curativas.* Et Vall. fol. 187. sequentiâ monuit: *Neesse igitur est, eum, qui rectè medendi methodo sit usus, partium dissectionem, & rationem cognoscendi locos affectos, ex prioribus tractationibus didicisse.*

Hinc de fibraum specie, quibus pars, morbificæ causæ ope afflictæ, adstruitur, notitia obtenta, à suæque natura animadverso recessu, convenientia auxilia ad proprium tonum restituendum investigare, haud difficile fore, comperio, hincque liquidorum crasi correctæ, eorum cum solidis æstimabile æquilibrium evenire; quo obtento; morbi, eorumque producta exulant; hincque etiam excretiones, secretiones, elaborationes, & omnia, quæ coctionis nomine in practica intelligenda veniunt, consequi, prudentèr expecta. Huic

discurrendi modo dofovet, Georg. Baglib. opinio de med. solid. cant. 25. fol. 479. *Frustrà curas chronicos, aut acutos morbos per purgantia, dyaphoretica, dyuretica, aliaque id generis, nisi solidorum, & liquidorum naturam ad rectum ordinem reducas.* Qua de causa auxilia partis texturæ foventia scrutari debentur, si nimia elasticitas observetur, laxantia pro opinanda sunt; quod si laxitas nimia, salinis, oscillantibusque mediis, fibras ad debitam elasticitatem restituere videtur.

Notandum venit, an ne sanguinis plenitudo primarum viarum cacochymiam comitetur; hoc enim in casu urgentiæ scopus meditandus, leviq; exhibito purganti ad aliud indicans attendendum, antequam sanguinis stagnatio sequatur, vel ipsius in aliqua parte morositas inflammationē inducere valeat. Primò cacochymiam minoratio præcedere debet, quoniam præsentis in casu morbus à cacochymia originem ducit; quin obstant sequentia Vallesii verba in suo meth. med. lib. 4. *In morbis pendentibus ex materia tollenda plenitudinis indicatio primum locum obtinet, & quò citius agatur, eò melius antevertit pericula.* Prædicta enim dogmatica verba morbum à plenitudine ortum supponunt, quo casu debita cum moderatione, à viribus, & cacochymiam præsentia deprompta, cruentas evacuationes celebratas indicanti satisfacere arbitror. Ut felix præsentis in casu operatio sequatur, summam præmeditationem exposcit; idcirco, quia sanguinis missio majorum au-

xilliorum speciem ingreditur, antequam practicetur, summa reflexio præire debet; quandoquidem sanguinis effervescentia, spirituumque orgasmus tales effectus producant, ut hi à plenitudine orti censeantur: hac de causa Vall. lib. 4. method. med. sic scripsit: *Tamen ut in summa dixerim, sanguinis missio quanto maturior, tanto utilior.* Utinam meo in exercitio practico tanta incommoda non vidissem, dum coactus, præsentis primarum viarum conspurcatione, sanguinem detrahere jussi. Circa quod Vall. loco nupè citato sic loquitur: *Certe verissimum est, crudorum abundantiam in ventre impedimentum esse missioni sanguinis; quia à recentèr inanis venis rapiuntur inde; rapta verò aut in angustas impingentia vias, obstructions viscerum, aut in latiores etiam deducta, totum corpus crudis replent, & viciant sanguinem, aut faciunt utrumque.*

Quomodo primarum viarum cacochymia, quæ nihil aliud est, quàm humorum specie recedentium cumulus, copia, infarctusve, plenitudinem, ad vires dictam, efficere possit, à perpauca explanatum vidi; idcirco pro clariori hujus explanationis intelligentia notare oportet, plenitudinis ad vires nomine sanguinis redundantiam ultra virium conferentiam intelligi.

Sanguis optima crasi pollens, & non talitèr auctus, ut cum vasa gubernare non possint, imò benè per vasa gubernatus, optimo circulo gaudebit: optimo stante circulo, beneficia, omnibus nota, sequentur; sicque

sanguinem constitutum vires labefactare, & plenitudinem ad vires efficere, non facile concipitur; si enim agentia naturalia operantur in quantum possunt, optimus sanguis, aer æthereo spiritu saturatus, optimaque sanguinis in vasis, ut circulus succedat, ubicatio, aliaque similia, si vires non augeant, ad minus eas conservare deberent: undè opinionem, his non obstantibus, vires gravare, & labefactare posse, asserentem physico in rigore mihi arduam videri, fateor.

Pro quo notandum est, vires nihil aliud esse, quàm vim, seu virtutem, optimum sequam temperamentum, quod tale est, ut non solum servet animam in corpore, seu formam in materia dispositivè, sed præstet etiam ad validas actiones exercendas, & tolerandos labores. Ita Santa-Cruz de imped. lib. de rebus naturalibus, cap. 6. fol. 26. Optimum temperamentum hinc importat optimam sanguinis crasim; sanguinis etenim particulæ, optimam crasim constituentes, facile volatilifantur, & in spiritum, ut humani corporis functiones optimè exequantur, resolvuntur. Denique optima mechanico-physica humani corporis operatio, motus nempe ad, & per solidas partes ab optimo temperamento dimanat; quod voluit insinuare Santa-Cruz per hæc verba: *Præstet etiam ad validas actiones exercendas.* Undè vires optimæ sanguinis crasis, optimæ solidorum mechanicæ structuræ, optimique sanguinis cum solidis æquilibrii, effectus esse, capio.

Quan-

Quantum requisita numerat Santa-Cruz, ut partis actio valida sit; nempe *debitum temperamentum qualitativum; suum debitum substantificum; debitè temperatum calidum influens, seu spiritum vitalem; debitamque proportionem in secundis qualitativis ipsius spiritus vitalis cum debita quantitate*: quibus deficientibus, partium actiones hebetes, viresque imbecilles offeruntur; è autè contra, prædictis stantibus, vires validæ existunt. Cumque prædicta requisita præsentī optimæ sanguinis crasi, optimæ solidorum physico-mechanica structura, liquidorumque cum solidis æquilibrium tono, nedùm pro motu generico, verùm pro specificis adimplendis, necessariò adsint; & aliundè omnia usque nunc dicta sanguini in quali, ut ajunt, non peccanti, & cum vasis proportionem dicenti, non opponantur; idè opinio antecedentè dicta mihi ardua videtur; vel enim plenitudo ad vires in prædictorum præsentīā impossibilis est, aut ipsam nondùm satis elucidatam, aut chimericam judico.

Nec recursus ad virium gradum cuilibet individuo determinatum obstat; hoc enim est metaphysica idæa, pro systemate protegendo accommodata, quæ pro rebus physicis non tantùm, quantum mechanicæ demonstrationes deserviunt. Nec exemplum de ventriculo cum cibis nimia copia assumptis obest; quia isti vires proximè augere nequeunt, neque ut agens actione repatiatur, promptiores sunt, uti evenit in ante-

R

teà

teà dictis pro virium constitutione juxta Antiquorum, & Modernorum placita. Demùm neque obstat *ly debita quantitate*, in requisitis ad vires à Santa-Cruz suprâ traditum, loquendo de proportione spirituum vitalium servanda: nam illa verba ad dictum æquilibriale tonum, in liquidis, & solidis servandum, respectum dicere, probabiliter teneo.

Ut igitur ad rem accedam, quid per plenitudinem ad vires intelligendum veniat, investigare est necesse; ut indè manifestè videatur, an cacochymia primis in viis stabulata talem possit sanguini recessum inducere, ut plenitudinem ad vires, vel quidquid hujus plenitudinis nomine intelligendum venit, efficere valeat. Quod omne ut nulla ex parte lateat, effectus in virium præsentia animadversi, scrutari debentur: præfenti ergo tali sanguinis statu, *plenitudo ad vires* dicto, anxietas animi, abjectus animus ad agendum, & citra causam externam timidus, artuum gravitas, respiratio quasi defessa, sublevi motu angustia in præcordiis, somnus anxius, vitales motus frequentes, inæqualesque, caloris flagrationes, deflagrationesque, corporis superficies diversæ (color enim jam ruber, jam pallefcens detegitur) secretiones, excrecionesque pigræ, sanguis (si extrahatur) colore nigricans, consistentiâ crassus, aliaque his similia, observantur; hæc autem omnia sanguinis spissitudinis effectus à celebrioribus. Practicis agnoscuntur; ideoque nomine plenitudi-

nis ad vires *sanguinis spissitudinem* intelligendam fore, arbitror. Pro cujus integra claritate per transcenam noto, sanguinis spissitudinem esse *massam sanguinis justo crassiorē, spissamve, nedum à plethora, verum & à motuum defectu originem ducentem.*

Sanguinis spissitudo aut universalis est, ut quando universa liquidorum massa debitam in toto corpore fluxibilitatem amisit; aut particularis dum in certò, determinatoque viscere, contingit. His jactis: Affero, *cacochymiam, primis in viis latitantem, plenitudinem ad vires inducere posse.* Cacochymia enim, primis in viis stabulata, prout plurimum aciditate peccat; aciditasque sanguini communicata crassitiem, viscositatem, & lentorem inducit; qua ex causa sanguis ineptior ad motum fit, ejusque circulatio pigris adest; hincque tanta sequuntur incommoda, quanta usui, cognitionique practicæ, necessariò offeruntur.

Naturales evacuationum sanguinis suprefiones ab ipsius spissitudine tanquam à materiali causa dimanant; hocque pro securiori plenitudinis ad vires signo confitetur per hæc pluriès repetita verba: *Suprefio consequuta sanguinis evacuationis.* Hinc impuritatam coacervatio, congestiones, stagnationes, inflammationes, corruptiones, infarctus, viscerumque læsiones, vitales motus diversimodè alterantes, sequuntur; hincque febres, *secundariæ* dictæ, oriuntur.

His in febribus prædictis de causis dolores laterales

les cum sanguinis sputo occurrunt; quo in casu pauca cum felicitate venam secare vidi, quamobrem quemquam hortor debita cum veneratione sequentia Hipp. verba ex lib. de loc. in hom. meditari: *Ità etiam reliqua partes, altera alteri morbum inducit, & optimum fuerit sic curare partes agrotas per has, qua morbum faciunt, sic enim quamoptimè principium agrotandi quis sanaverit.*

Hujus sententiæ meditatio ansam præbet, ut quilibet rectè calleat, dictos dolores, aliaque symptomata, è principali causæ fomite, radiceve, primas occupante vias, originem ducere; simulque eorum extirpationem à dictæ causæ remotione quaerendam fore: qua de causa commoda prævia dilutione adhibita, sequenti lenitivo purganti utor: Re. mannae calabrienf. dissol. in f. q. tinctur. rhabar. clarif. & colat. unc. iij. spirit. sal. armoniac. urinos. gut. x. me. Qua potione materialis causæ portio deponitur; & sublevatâ naturâ, minorem solida gravationem experiuntur; & secretiones, excretionisque, minori cum pigritia fiunt. Postea ad dilutionem redeo; ægrique tolerantiam cum causæ mole mensuratâ, iterum purgationem instituo, quousque de infarctus minoratione conscius evadam; præteritam autem, vel sequentem potionem præscribo: Re. syr. flor. persicor. unc. iij. tartar. solubilis scrup. ij. aq. cicchor. unc. iij. me.

Quia dubitandi ratio insistat, quomodo scilicet

pri-

primis ex viis ad pectoris cavitatem talia possint symptomata irruere? Quia, præterquamquod ex Anatomia constat, per chyliifera vasa massæ sanguinariæ primæ regionis vitia communicari posse, uti antea dictum est de sanguinis, & feri stasi, stagnationibus, vasorum corrosionibus, inflammationibusque, sequentia Fucii verba lib. 1. cap. de pleuritide demonstrant: *Ex cruditatibus plurimis, cibisque crassis, ac pituitosis, crudi, lentique, & crassi humores in corpore generantur, qui nonnunquam repente se in vacuum thoracis locum ingerunt, aut in ipsum pulmonem etiam; atque sua multitudine, sua cingentes latera, intrinsecam membranam distendentes, inferunt dolores, ut imaginatio facta inflammationis imperitis exhibeatur.*

Concesso autem pleuritidem evenire cum sanguinis sputo, prædictis attentis circumstantiis, non semper venæ sectione uti debetur ex consilio Bal. lib. 1. cons. histor. 1. *Si sputum cruentum est occasione pleuritidis, ne summas indicationem secandi venam ex sputo, quoniam forte ipsa pleuritis non petit venæ sectionem.* Nec minus sequentia Quercetani verba cap. de pleuritide meo asserto fovent: *Pleuritidem, qua à lumbricis oritur, vel à vaporibus elevatis, & membranam costas subcingentem vellicantibus, purgationibus, & vomitoriis, potius succurrendum est, quam phlebotomia.* Hac methodo natura se debet afferre, sanguinis enim crasis, ablatâ coinquinante causâ, emendatur; & ubi

ubi virium robur fiducia est, raro contra symptomata pugnatur, teste Gal. lib. I. method. med. idem de delirio, somno, vigilia, siti, aliisque symptomatibus, prædictis in febribus evenientibus. Nec intendit animus tanquam generale theorema prædicta statuere; *nullum enim inviolabile præceptum in Medicina, neque ulla perpetua formula*, teste Vall. lib. 4. method. med. conspicitur. Quapropter non statim, ac aliquod evenit symptoma, illi occurrendum est; quandoquidem ipsomet auxilio, quo symptomati occurrimus, naturæ motus turbari possunt, qui, cum ab universali causa dimanent, in ægri levamen forsàn sortiuntur: quo casu natura & contra morbificam causam, & contra præcisam auxilii applicationem pro producto morbo profligando, intendere debet: quæ altè meditans Sanctorius lib. de arte med. sic. exclamavit: *Undè vexant non modò ægros, qui post eorum remediorum exhibitionem pereunt, verùm etiam, qui sanantur: natura viribus donata duplici utitur solertia, alterâ in impellendis morbis, alterâ aliquando in corrigendis, & emendandis plagis, ab insanis Medicis inflictis.* Hipp. etiam sequentia scripsit: *Optimum medicamentum est aliquando nullo uti medicamento.*

Nedùm contra symptomata, verùm & contra morbi causam non semper irruendum judico: pro quo naturæ progressus, & morbi, & causæ statum animadvertere oportet; actiones autem non à Medico, à natura

tura expectandæ sunt; his enim in febribus circumspicione, morositate, & prudentia est opus; ideò namquè Hipp. scripsit: *Contraria sensim adhibere oportet, atque interquiescere.* Quasi diceret, viribus, morbo, & causa, attentis, postquam aliquæ conferentes vacationes præcesserunt, naturæ actiones expectandas esse. Nec minùs aliquando est speciosa auxiliorum suspensio, quàm eorum adhibitio: *Medicos, & imperatores plùs interdùm quiete, quam agendo, & movendo, proficere,* ajebat Titus Libius.

Nec dicta pro inviolabili theoremate tenenda; symptomata enim talis classis eveniunt, ut nedùm totâ Medici attentionem exposcant, verùm & eorù præsentia ordinè curativum obscuret, & quasi invertat; qua de causa Vall. loco nupè citato ajebat: *Scopus urgentia totum interturbat ordinem curativum;* v. g. si præsentis primis in viis cacochymia acido-viscosa, hujus aciditas sanguini communicetur, & proptèr sanguinis spissitudinem, circuli que morositatem acquisitam, in aliquo interno viscere aliqua stagnatio fiat; in pleura v. g. quæ cum sit pars suæ texturæ ratione exquisitissimo sensu prædita, graviora symptomata occurrunt, uti ex stagnatione inflammatio, coagulario, gangræna, &c. hoc casu venæ sectione utor ea parva in quantitate, ut circulus promoveri possit; sublata etenim sanguinis portione, natura ad movendum tanto vigore non indiget. Neque hoc gravi animo ferendum puto, si attentè meditetur, quod



quod ex motu progressivi segnitie, à particulari plethora prædictæ parti inducta, & à sanguinis spissitudine pendente, secretionum machyna segnis redditur, & excretionum successus languet, retardaturque. (Hinc incommoda sequenda meditari obsecror!) Idcirco non timeo, illam mathematicè præcisam sanguinis portionem detrahere, quæ, ut dicta urgentia minuatur, prudentissimæ conjecturæ commensurabilis extet.

Sed ut illa sanguinis detrahendi quantitas mathematicæ proportioni respondeat, adeò perspicuam reflexionem exposcit, ut sublimiora ingenia torsionem patiantur; quia tamèn reflexio hæc summè necessaria Tyronibus est; ne videatur, speciem hanc de mathematica proportione in evacuando intactam derelinqui, aliquam congruentiæ rationem de illa Tyronibus tradam. Ingenuè fateor, pro hoc explendo puncto Medicum satis exercitatum requiri; nihil enim nostram artem magis conjecturalem facit, quam aliquando coactos esse ad auxiliorum quantitatem assignandam, quæ quidem neque dici, neque scribi, neque omnino percipi potest.

Ut igitur ad quantitatem proximè saltim accedam, tria animadvertere oportet: primum, à quo sanguinis mitendi quantitas indicetur: secundum, quomodo hæc quantitas facilius inveniri possit: tertium, qua methodo per indicationes sit exercenda. Pro quorum plena intelligentia notare convenit, sub eadem

indi-

indicantis entitate speciem, seu qualitatem, & indicanti quantitatem comprehendere; indicans enim ut genus differentias comprehendere est opus; sit exemplum: aciditas morbosa ut talis genericè edulcorationem ut talem exigit; eadem autèm aciditas in essentia, si differentiam accipiat, & magna, & intensa fiat, intensam edulcorationem exoptulat; undè magna, vel parva auxilii quantitas ab eadem indicantis essentia intensa, vel remissa, magna, vel parva, oritur. Adverto tamen, quod, ut auxilii quantitas innotescat, de ægrotantis in salubri statu naturâ, ut ipsius recessus conspicuus appareat, Medicus conscius esse debet, & secundum recessum mente conceptum auxilii quantitatem, ut salubrem ad statum reducat, metiri. Noto denique, quod, ut auxilii quantitas methodo rationali instituat, nedùm indicans considerandum est, verùm coindicantia omnia, circumstantiarumque concursus; sic enim illius, quod magis viget, ratione habita, secundum ipsius recessum auxilii quantitas optimè mensurabitur.

His pro Tyronibus notatis: mathematicè præcisam sanguinis detrahendi portionem ab indicantis quantitate, & à plenitudinis differentia defumi debere, adstruo: hæc etenim particularis plenitudo, à circuli morositate membro particulari inducta, censetur; cumque parva sanguinis moles, prædictis circumstantiis attentis, dictos morbosos eventus producendi sit capax; hinc, parvam sanguinis portionem detrahere ad dictos elimi-

S

eliminandos eventus, satis fore, meditor. Præterquam quòd prædictis circumstantiis præsentibus, nec ingens plenitudo, nec vacuationem coindicantia adesse, videntur; imò vires nequeunt non obscure manifestari; spisso etenim sanguine vires labefactari ob rationes antecedentè dictas coguntur; quoniam autem ratio à viribus desumpta dignior cæterorum indicantium ratione censetur, ideò attentæ, reflexivæ, circumspectæque consequentia stat, ut præsentis casu sanguinis detrahendi quantitas parva sit.

Laterilibus partibus dolore affectis auxilia vi anti-spasmodica prædita conferunt, quæ quidem auxilia, quoniam dolorem sedare valent, anodyna vulgò nuncupantur, ex quorum serie sequentem inunctionem præscribo: Re. ol. cucurbit. long. chalybiat. & amigdal. dulc. ana drac. vj. spermat. ceti drac. j. spirit. sal. armoniac. urinos. drac. sem. me. Hoc enim auxilium fibrarum crispaturam, feri, lymphæve stasis ratione prædictis in partibus sequentem, villosa fibrarum stamina laxando solvit; necnon etiam alkalino sale, quo poller, dictam lymphæ stasim volatilifacit, ac solvit, eò quòd internæ causæ efficienti prædictæ stasis, *acido* nempe, opponatur. Pro eisdem finibus non committam, ut Tyrones sequentis auxilii, ex cujus applicatione mirabilia in praxi percepi, partem non capiant: Re. albumin. ovorum n. ij. agitentur exactè, & extendantur in stupa lini probè extensa, limpidaque, in qua insper-

gantur pulver. subtiliss. cariophylor. & nucis moscat. ana drac. j. Parti dolore cruciatæ applicetur, & incantamenti instar dolorem discutiet.

Inter auxilia sanguinis spissitudinem evertentia non debent vesicantia omitti; quandoquidem ex eorum usu determinatis in casibus mirabiles effectus fortiri, experientia edocet. Ex vesicantibus cantharides primas tenent; istæ enim particulis alkalinis saturantur, saleque admodum acri vigent, quæ sanguini per capillaria vascula communicata ejus segnitiam, morositatem, visciditatemque acidi ope acquisitam, *acidum* destruendo solvunt, particulasque sanguinem ad exitialem coagulationis statum inducentes disgregant. Huic asserto fovet Buglivii doctrina de usu, & abusu vesicantium, cap. 3. fol. 655. inquit: *Verbo dicam, ad solvendas incipientes sanguinis coagulationes, stagnationesque in quocumque morbo, qualibet ætate, temperamento, anni tempore, &c. vix ullum præstantius, aut ita celeritè agens, observari remedium, quàm vesicantia.* Nedum suas vires liquidis vesicantia expriment, ut supra dictum, confirmatumque manet, à posteriorique plures ex ipsorum usu felices eventus quotidie in praxi animadversi evincunt; verum & solidis elasticitatem elargiendo fovent, fibrosaque solidorum stamina, ut excretiones sequantur, egregie disponunt, atque devinciunt; stimulo enim dictis fibris inducto, ipsæ necessariò contrahuntur; ex qua equi-

dem contractione expulsionem sequi arbitror. Cum hac opinione congruit sententia Georgii Baglivii dum loco nupèr citato dicit: *Ergo maximè movet tam fluida, quàm solida: ergo in morbis à coagulo, & lentore, cum fibrarum paralyfi, aut laxitate necessariò sunt admittenda.*

Inter symptomata in febribus lymphaticis mesentericis à cacoehymia acido-viscosa, primas occupante vias, & sanguinis spissitudinem inducente, causata, sitis se offert, quæ summoperè ægros torquere solet, cum linguæ ariditate, nec non nigredine: quo in symptomate Tyrones meos cautos esse, hortor, ne in propinandis emulsionibus, & aquæ frigidaë haustibus, proni insinuentur; siquidem emulsiones lentore, & visciditate quadam oleosa, qua constant; humores impinguunt, & incrassant, lymphæque fluiditatem denegant, & per consequens tali siti suffragari nequeunt. His confert Michael Aloysius Sinapius paradox. med. part. 2. fol. 45. dicens: *Emulsiones autem lentore, visciditateque sua oleosa humores magis incrassantes, & inviscantes, contrarium præstabant.*

Diluentia pro siti, & siccitate dictis in febribus profliganda, primas tenent; nam sitis hæc non ab ingenti ardore, sicuti in febre caupon, dimanat, sed ab occlusione, & stipatione pororum, per quos serosa substantia efflueret in fauces, ductus salibales, linguam, œsophagum, &c. lymphæ enim extraneorum

salium saturatione implicatur: quaproptèr vel emollientia, vel peculiaritate quadam penetrantia, magna in quantitate usurpata, duo præstant, indicantium vim adimplentia: in primis enim fibras nerveas, quibus glandulas construi anatomicè constat, laxant, & ad propriam configurationem redeunt, & lymphæ coagululum, vitriolicaque, vel quælibet alia salia, quibus lymphæ saturata fuerit, diluendo, solvunt: *Re. decoc. radic. althææ. folior. cichor. & flor. cordial. unc. xx. nitri purissimi drac. j. me. pro duabus dosibus: quæ quidem potio Medici judicio repetenda erit. Aqua tepida egregiè diluit: octo, vel decem spirit. sal. armoniac. urinosi guttæ in appropriato liquore diluenti summoperè etiam jubant: nitro autem purissimo utor, quia, sale polychresto constans, admodum penetrat, nescioque, qua polleant configuratione corpusculi, quibus nitrum adintegratur, ut de ejus usu mirabilia in praxi observentur. Ne autem præsens methodus in tali siti profliganda libera alicui videatur, sequenti Synibald. opinione, part. 2. animad. 2. fol. 104. ipsam confirmo: *Quoniam siccitas in hujusmodi febribus non sit ab ardore vehemente, quem solum novit Gal. sed à salibus vitriolicis, aluminosis, ac stipticis, quæ ad instar coaguli lympharum tollunt fluiditatem, & glandularum salivalium vasa excretoria strangulant, ne suum effundant liquorem per universam faucium, & œsophagi cavitatem: Est ergo necesse, dicta salia aque-**

*um diluentia diluere, ac disperdere, & unà cum ipsa aqua ad urinæ vias, aut secessum elutriare.*

Hac prædicta diluendi methodo nedùm sitim, linguæque ariditatem, modificari, adipiscitur; verùm & duas evacuationes subsequi, quarum beneficio prædictæ febres terminari solent: in primis enim copiosa urinæ evacuatio conspicitur; deindè materiæ mucosæ bilis, ab acido-austero concretæ, incisio, & evacuatio subsequitur: postea verò in aliquibus parvi sudores, madoresve conspiciuntur, & protinùs à febre liberari evenit.

Hoc ita contingere quotidie in praxi experimur; quomodò autèm hoc mechanicè assequatur, capere, perarduum existimo; Physiologiorum enim ingenia in hoc puncto decidendo torsionis vim substulere. Diluentium vim talem esse, ut solida morbosa elasticitate afflicta laxent, hancque elasticitatem, quam ob constrictionem acidi ope fibræ adquisierunt, auferant, à nemine genericè saltim ignorari, arbitror; sicuti quamlibet liquidorum concretionem peculiari diluenti absolvi. Quomodò autèm ex diluentium usu tam citò, & copiosè urina promoveatur, non est hujus asserti exaratio.

Pro Tyronibus ad usum practicum sufficiat scire, primam regionem vario fibrarum genere adintegrari; hasque fibras similitudinis, & officii ratione, diversis organis, urinæ inservientibus, consensum ducere: an

verò actio secernendi urinam soli renum configurationi tribuenda sit, an ipso ventriculo, (cum valida sit aliquorum opinio, urinam potus, & urinam sanguinis admittentium) non est proprii instituti. Nec renum actio, nec eorum genuina configuratio pro nunc enodanda; hoc enim omne, sicuti & an per coctionem, fermentationem, separationem, filtrationemve dicta actio adimpleatur, ex Anatomiae sede querendum, credo; prudensque Bergeri consilium in Physiologia pag. 205. de his glandulis agens traditum amplector: *Non possumus à renibus animum, & cogitationem convertere, quin multa esse in corpore fateamur, quorum vim, rationemque percipere, nisi qui corpus humanum condidit, possit nemo.*

Sufficit ergo Tyronibus scire, ut urinæ secretionis negotium assequatur, meditanda esse vasa advehentia, quæ *arteriæ emulgentes* dicuntur; organa secernentia, quæ *renes* judicantur; devehentia, quæ *ambo ureteres* sunt; adservantemque *vesicam urinariam*, in qua ob fibrarum sphincteris musculi contractionem vesicæ collum constringitur, & impedito exitu, urina detinetur; è tamèn contra ob fibrarum sphincterem adstruentium laxationem uretræ organi excernentis vim adipiscunt, & urinæ profluvium sequitur. Undè non mirum, quod per appropriata diluentia, vi antispasmodica, moderatèque permeanti prædita, nedùm per supra dictum consensum fibræ, prædicta organa adstruent-

adstruentes, laxitatem adquirant, verum & fixorum salium, sanguinis spissitudinem inducentium, dissolutio assequatur; hincque sanguinis circulus promoveatur, ad huiusque promotionis pensum urinæ secretionis mechanicè fortiantur.

Prædicto equidem modo optimi diluentis ope bilis, acidi-austeri vi concretæ, absolutio evenit; nervæ enim intestinorum fibræ, quæ crispaturæ, acidi ope acquisitæ, ratione motui tonico, peristaltico ipsis, non benè inserviunt, pristinum ad tonum redeunt, & cumatosa materia, mucosæ, & terrestres, è tenuibus intestinis peristaltici motus actione in crassa trudentur; hinc fibrarum actio suo muneri respondet, & longitudinalibus abbreviatione, circularibusque musculosis constrictione inducta, intestini latere alteri accedente, coarctatoque spatio, prædicta materia in vacuum propellitur, ad cæcum denique, hinc ad rectum, per secessumque evacuatio absolvitur; hacque absoluta, effumationes, resudationesque, per tenuiores vias sanguini communicatæ, cessant; quo facto, & stimulus à febre significatus finitur. His denique, in quibus halituosa, substantialiaque effluvia, sanguini communicata, & non demùm resoluta fuere, diluentis appropriati beneficio per cribum cutaneum evaporatio, exhalatio, præspiratio, inspiratio, sudorve conferens prædictorum effluviolorum sequitur; hacque despumatione facta, sanguinis crasis ad naturalem statum restituitur, ægerque liber evadit.

Quod

Quod si lymphæ particulis salino-acribus nimis saturata fuerit, majorem in sanguinis progressivo motu turbationem inducit; ingentes fermentationes, effervescentiæque in sanguine promoventur; orgasmus in spiritibus inducitur; secretionum, excretionumque ordo inversus conspicitur; nerveis solidorum fibris oscillatio, vellicatioque inducitur, solidaque nimiam, qua afficiuntur, elasticitatem per explicationem, è motuum vitalium, tonici particularis præcipuè, acceleratione inducta, exprimere coguntur: hinc dolores, tormina, spasmodicæ contractiones, pulsumque varietas, emergunt; partes enim prima in regione contentæ, quoniam admodum nervosæ sunt, aucta sensibilitate gaudent, numerosaque nervorum sobole, ipsis implantata; ideòque evenit, ut tales cum cerebro compassiones experiantur, uti vigiliæ, deliria, implacibilitas, anxietas, sitis, linguæ ariditas, &c. quæ omnia, aliaque infinita, non præterlapsa, sed omissa, è lymphæ acritudine, sanguini communicata, originem ducunt, Toci tom. de atritid. huic asserto arridet per hæc verba: *Pendere videtur ob lympham abundantiorum simul, & acriorem, vel acidiorum, illi suggestam: quia tamèn plerumque febris comitatur, videtur sanguis quoque in fermentationem adauctus unà simul cum lymphæ viciari.*

Totus curationis prædictorum cardo in dicto lymphæ recessu corrigendo per atemperantia, diluentia, edul-

T

edulcorantia, anodyna, & absorbentia, consistit: quòd si lymphæ etiam quantitate excedat, conferenti vacatione opus est; siquidem indicans, à vitio in quanto proveniens, non dictis, sed evacuatione absolvitur, sicuti è contra, indicans à vitio salino-acri dimanans, non directè evacuatione, sed edulcoratione aufertur: quaproptèr, rebus sic stantibus, in cogitationem vocare oportet, tales constitutiones propter lymphæ, ferive tenuitatem facilè in turgentiam migrari; siquidem ob sales volatiles, quibus lymphæ saturata censetur, hùc, illùcque facilè pergit: ideòque, antequàm lymphæ sanguini totam suæ malitiæ vim exprimat, quia ejus evacuatio nec per urinam, nec per sudorem, tam citò, ut opus erat, perfici potest, statim per secessum purgandum.

Nec siccitas, linguæ ariditas, sitis, &c. hoc impedire possunt; ista enim à talium humorum præsentia summoperè augentur; metirique oportet, quodnam majoris ponderis inconueniens sit, nempe excandescencia à medicamento sequuta, vel lymphæ tam pravè constitutæ præsentia? Pro quo audiamus, Gal. sic loquentem: *Non propter febrem purgamus agrum, sed propter humorem facientem febrem major enim utilitas erit ex noxiorum evacuatione, quam detrimentum, quod ex purgantibus medicamentis sequitur.* Nec à Gal. mente recedit Sinapii opinio paulò suprà citati, fol. 43. afferentis congruentissima ratione purgantia refrige-

rationem inducere, eò quòd caliditatis causam semoveant; sic loquitur: *Quia evacuant bilem, aliosque humores acidos, salsos; sed omnia hæc sunt calida: quia tollunt causam obstructionis, undè calores oriri possunt, dum nempe phlegma, melancholiam, bilem, & id genus humores salsos, acidos, crassos, viscosos, fundunt, attenuant, præcipitant, & è corpore eliminant.*

Multo minus ob relata incommoda à purgatione abstinere debetur, si attentè perpendatur, multa adesse auxilia (divina auxiliante gratia) ex quorum usu nedum ab evacuatione excandescentiæ non sequuntur, imò potiùs lymphæ acrimonia obtunditur, eodemque tempore duobus indicantibus, quanto scilicet per evacuationem, qualique per attemperationem, & edulcorationem, satisfit. Hujusmodi est lac terræ, quò in principio, antequàm vicium lymphæ impressum sanguini communicetur, sequens potio præscribi potest: *Re. syr. althææ Fernellii unc. iij. aq. fragar. lib. j. lac. terræ drac. iij. me. pro duabus dosibus, mane, & vespere sumendis; quæ potio per aliquos dies repeti debet, quia edulcorandi vi pollet, virtuteque antispasmodica gaudet.* Aliquando loco syrapi althææ syrupo cichor. cum rheo utor; hacque potione evacuationes loci, & causæ ratione conferentes conspicio; quandoquidè evacuationes ferosæ per secessum, nec non per lotium consequuntur. De althææ syrupo Fernellii neminem dubitare credo, anodyna pollere vi, ner-

vis fovere, & acrimoniam demulcere. Nec de lactis terræ operandi modo dubitari existimo; quandoquidem cuilibet meditati constabit, ens omni principio activo spoliatum esse, solisque passivis terræ principiis depuratis constare; propter quod aciditatem expurgat; & quoniam cum multiplicium corpusculorum genere formalem configurationem dicit, volucres sales, quibus lymphæ saturatur, suis in poris recipiendo, ipsam attemperat.

Nec prudentem censeo methodum, quæ dictis in febribus, è talibus lymphæ recessibus dimanantibus, aliis præter laxantia pharmacis utitur; sic namquæ relata à Sydenamio incommoda ingruent: *Sedula mentis applicatione, & multiplici etiam experientia edoctus, quod si hinc acres istos humores, fomitem morbi, cathartici expellere conarer, idem agerem, atque is, qui ignem oleo extinguere satagit, cum cathartici ope ratio omnia magis perturbaret, & novos insuper excitaret tumultus.* Hucusquæ Syd. sec. 4. cap. 2. pag. 217.

Post sufficientem feri minorationem auxiliis concoctoriis, vel coctioni inservientibus, utendum est: hujusmodi sunt ea omnia, quæ crispaturam, à feri acrimonia fibræ inductam, laxant, salesque, lymphæ acritudinem causantes, diluunt; amissa etenim morbosa solidorum elasticitate, lymphæque acritudine media salium dilutione infrieta, solidorum cum liquidis æquilibrium restituitur, oscillationes cessant, motuum

moderatio, secretionum, excretionumque ordo, & fructus assequuntur, conferentesque vacuationes, & filtrationes naturali ordine obtinentur; cumque hæc omnia, meo judicio, veram coctionem, medico in sensu intelligendam, constituent; hinc appropriata diluentia concoctoria esse, vel coctioni inservire, tenendum.

Inter diluentia dictis in febribus usitata, quæ experientiâ instructus indicationum pondus satisfacisse comperui, sequens propono: Re. pulli plumis orbat, visceribus demptis, collo, pedibusque abscissis, n. j. in ipsius cavitate inde radic. althææ contusar. unc. j. sem. cucurbit. & melon. contus. ana drac. sem. flor. cordial ana pug. sem. coquantur in olla magna vitreata cum lib. x. aquæ com. ad tertiæ partis consump. De hoc diluenti jure quantitate utendum horis, Medici judicio, cum somno, alimento, &c. proportionem servantibus.

Quoniam autem sanguinis crasis, solidorumque textura non est omnibus eadem; aliquorum enim sanguis inflammabilitati pronus existit, fibrarumque plexus, aliquorum solida constituens, nimia elasticitate fruitur; aliquandò evenit, ut dicta non obstanti circumspecta methodo aliqua feri, & sanguinis stasis vitari non potuisset, eò quod crispaturæ, obstructiones, ut proprius loquar, meatuum, pororumve angustia, vel fibrarum torsiones, elasticitatis vi ortæ, adveniant: quo

quo in casu aliquam sanguinis detractionem necessariam judico, ut fibræ, tensione, elasticitateque amissa, ad pristinam laxitatem redant, & consequenter naturalis pororum configuratio sortiat, inflammatio præcaueatur, secretiones, excretionisque, absque turbatione procedant. Hoc voluit insinuare Baptista Verna p. 51. cap. 2. n. 15. per hæc verba: *At verò si tensio fibræ admodum elata sit, & inflammatio jam augeatur, viresque adhuc constant, sanguinis missio ut celebretur, ratio, & experientia docent.* Quibus ex verbis manifestè deducitur, quantum venæ sectio fibrarum tensioni necessaria censeatur; cum dicta ex tensione inflammatio quasi supponatur.

Si quilibet, systematum passione derelicta, beneficia, utilitatesque, ex sanguinis circuli promotione assequatur, meditetur, venæ sectionis auxilium absque tædio conspiciet. Michael Etmullerus tom. 1. institut. med. cap. 4. de plethoræ diminutione in acutis, catarrho suffocativo, aliisque morbosis affectibus, utilitates ex sanguinis progressivo motu sequatur agnoscens, hæc scripsit: *Quod etiam in aliis acutis, absque febribus, apoplexia, catarrho suffocativo, &c. locum habet, in quibus urgente affectu, pro sanguinis circulo conservando, & aliis imminentibus malis succurrendis, venæ sectio per accidens subindè urgetur.*

Ex symptomatibus, huic feбри etiam comitantibus, implacitas se offert, quæ, vel quia materia fe-

rosa acritudinis in statu constituta ad partes superiores sive criticè, sive symptomaticè movetur, contingit; vel quia vasculorum viscerum meatus angustiantur, temporeque circuli præmuntur; sicque affecti nullam quietem inveniunt, modò hunc, modò illum situm quærentes, quia unaquæque forma eos gravat, ut in interna inflammatione, vel præcordiorum æstu contingit; vel quando ventriculi os succis lymphaticis salino-acribus madefactum censeatur; quo in casu si lymphæ acritudo nerveis oris superioris ventriculi fibris suam vim exprimat, ex nimia oscillatione, vellicationeque ipsarum fibrarum, nausea evenit; quo si vellicatio, oscillatioque fibris oris inferioris ventriculi inducatur, vomitum subsequi, observatur: quæ omnia cum à principali radice, lymphæ nempe particulis salino-acribus saturata, originem dicant, diluentium continuatione dictam implacitatem, vomitum, &c. vincenda esse, credo.

Quòd si nimis prædicta urgeant, præter diluentia ad ea, quæ sedare, compescereque solent, confugiendum esse, quotidie experior, sequentemque soleo positionem præscribere: Re. syr. papab. al. & althææ anadrac. vj. aq. fragar. unc. vj. matris perlar. præpar. scrup. j. laud. liquid. Syd. gut. vj. me; hæc enim potio volatiles sales, lympham saturantes, corrigit, & compescit. Loco matris perlarum pulveres oculorum canceri locum tenent, aliaque hujus classis, eadem vi pol-



lencia, quæ ad Medici necessitatem, & iudicium repetentur. Quando ab oris ventriculi fibrarum vellicatione implacitas oritur, quod nausea, & vomitus, aliquando demonstrant, sequens multoties cataplasma feliciter præscripsi: Re. fuc. agrest. vini rubri optimi, & aq. rosar. rubrar. ana unc. ij. santal. citrin. pulver. drac. iij. farinæ ordei q. s. ut fiat cataplasma.

Harum febrium radicationis subjectum primam esse regionem, & ex supra dictis sufficienter enodatum manet, & à plerisque Practicis admittitur; ex Anatomie enim constat, primam regionem ventriculo, intestinis, mesenterio, cava jecoris, & lienis, pancreate, hypochondriis, tunicarum varietate, tubulisque glandulosis, adintegrari; præterea tres in ventriculo regiones, intestinorum diversitatem, variasque his in partibus cavitates, & latibula offerri; istasque partes præter Hippocratis generale consensum, *Una conspiratio, unus consensus, consentientia omnia*, loci, officii, & originis ratione manifestas comparsiones sortiri: undè usui practico clysterum anodino-emollientium usus summopere convenire existimo: Re. decoc. pinguedinos. carnis arietis, folior. malvæ, flor. camom. lib. j. syr. violar. unc. iij. me, fiat clyster, qui juxta necessitatem Medico conceptam repetendus erit; siquidem ex ejus applicatione innumeræ utilitates sortientur; ne dum enim materia contenta in partibus, in quibus prædictum auxilium potest suam vim immediatè exprime-

re, vacuabitur; verum & evaporatio, præspiratio, serosæque materiæ vacuatio per cutis poros assequetur: laxitate etenim nerveis intestinorum fibris inducta, & tendines, & nervi, cutis texturam investientes, laxantur propter originis consensum, quem è nerveis intestinorum fibris trahunt. Hinc pori, cutaneique meatus, suaviter, moderatèque aperti manent. Neque hoc ita procedere quemlibet in admirationem rapiet; quandoquidem ex Anatomie sede constat, cutis texturam varia vasa, tendines, nervosque, &c. amplecti, in quibus villosæ particulae, glandulosæve sunt intertextæ; è quorum serie, inspectâ texturâ, varia effluvia, serosæque substantiæ evaporari possunt, ut docet Fridericus Hoffmann in Pathologia practica differ. 4. de usu Anat. in praxi, fol. 45. per sequentia verba: *Quam structuram si Practicus rectè intelligit, ex facili videre potest, per cutim, quæ tenuissimis partibus excernendis constituta est, collubiem viscidam, & biliosam, in primis viis residentem iniquè prorsus expurgari.*

Ex qua physico-anatomica Authoritate liquidò constat, subtilem, tenuissimamque materiam, minimè autèm viscidam, biliosamque compactam, primæ regionis vias obsidentem, per cutis porositates, diaphoresimve, vacuari posse: qua de causa, ut subtilis materiæ morbificæ vacuatio per diaphoresim, viscidæque, & biliosæ compactæ per secessum, commodius celebretur, externis etiàm auxiliis, anodyno-antispas-

modica vi præditis, prima debet regio foveri; cuiusbet enim Anatomia instructo constat, partes umbilicum proximè circumcingentes exquisitissimo sensu dotari, cum plurimis corporis partibus per nervorum nexum consensum ducere, hocque in loco lineam albam, huicque eximios tendines discurrentes, poni. Aliundè etiam experièntiâ constat, aliquorum remedium umbilico applicatione morbos in intestinis, aliisque primæ regionis partibus existentes, aliquandò evanescere; quod omne propter externarum cum internis partibus consensum necessariò evenit.

Hunc externarum, & internarum primæ regionis partium consensum plures Anatomici profitentur; præcipuè autè Georgius Baglivius cap. 10. de consensu solidorum jure originis, vicinitatis, usus, & communicationis officii, &c. fol. 343. ipsum evidenter aperit, dicens: *Cutis quoque cum alvo consentit; Alvus cum cute; morbi cutis, ut dolores artuum, factæ, ac pruriginosæ ejusdem maculæ, in alvi morbos solvantur; Alvi affectiones, ut diarrhæa colicæ, &c. in cutis affectiones migrant, & per cutis vias, nempe per diaphoresim sanantur frequentissimè. Ità in febribus anxiosis, quas malignum parit fermentum, ventriculi, & intestinorum vias obsidens, & vehementes undiquè oscillationes excitans. Egri inquieti sunt, jactabundi, loco stare nesciunt, & toto penè tempore, quo hujusmodi affectiones durant, in variolis, ne minima quidem pustula exit in*

*cute, nec sudoris gutta profilit in iis, & alvo ob dictam causam veluti contracta, convulsaque, universum cutis systema convellit quoque per occultum consensum, conerabiturque.*

Hæc omnia, & quantum amissi fibrarum toni restitutio ad curationem agat, perpendens; sequens cataplasma, ut cutis pori aperiantur, ad horum consensum internæ viæ laxentur, humoresque cataplasmaris ope fusi faciliùs per conferentes vias vacuentur præscribo: Re. decoc. carnis pinguedinos. arietis, radic. althææ, flor. camo. & vini rubri optimi ana lib. j. vitel. ovor. n. ij. farinæ tritici q. s. ut fiat cataplasma.

Inter symptomata, quæ in hujus febris curationis cursu nimis infestare solent, vigilia etiam numeranda est; quanta enim commoda perpetua inter somnum, & vigiliam proportio præstat, tanta ex improportione incommoda subsequuntur; siquidem ex temporaneâ corporis, & animi suspensione virium vigoratio, exercitii sensuum robur, & ratiocinationis Animæ alacritas, eveniunt; è autè contrà ex continuo internorum, & externorum sensuum exercitio, vigiliave, virium imbecillitas, exercitii sensuum infirmitas, Animæque ratiocinationis mæror, sequuntur: quod omne & quotidiana experientia convincit, & Hipp. 2. Aph. 3. suadet per hæc verba: *Somnus, & vigilia, utraque si modum excefferint, malum.*

Proptèr vigiliam, modum, limite sive excedentem,

immoderatus, & inæqualis sanguinis circulus sortitur; debita pororum partium laxitas, ut membra succi nutritii ope placidè irrigari, assimilari, & nutririque queant, deperditur; secretionum, excretionumque ordo conturbatur: qua de causa auxiliis, volucres liquidorum particulas compescentibus, solidaque suaviter laxantibus, utendum esse, arbitror: pro quo syr. papab. al. primas tenet; laudanum liquidum sydenam. summopere etiam jubat, illa dosi, illo tempore, circumstantiisque, ægrotanti commodioribus, propinatum. Hæc altè meditans Paracelsus lib. 2. aphor. Hipp. com. 2. sequentia scripsit: *Somnus enim tantum arcanum in Medicina; ut libenter ex aliquo scire velim, an, & qua medicina, que in omnibus morbis tam præsens, & repentinum sit auxilium, adeoque ad sanitatem conducit, æquè ac somnus; somnus enim medicina est superans omnia arcana gemmarum, & lapidorum pretiosorum.*

Urinæ his in febribus tenuiores, & regulari, secundum morbi ideam, tinctura orbatae apparere solent; hincque delirium sequi, frequentè experimur. Hoc sentit Petrus Franciscus Phrighius in com. epid. Hipp. p. 3. ægrot. 9. fol. 419. dicens: *Multoties observavi, urinis ad tenuitatem mutatis, non rarè delirasse ægrotantes, non quia urinae indicant supra genus venosum, sed quia conjectura quadam assequimur, elevari vapores ad caput, à quibus incallescit, & deliria fiunt. Delirium autem evenit, quia lymphæ particulis salino-acribus*

himis saturata, & sanguini communicata, nimium organum, & effervescentiam sanguini inducit; propter quod ex ipso sanguine effumationes caput versus consurgunt, à quibus in meningis vasculis oscillatio inducitur; hujusque oscillationis, vellicationisque ope vasa aliquantisper crispantur: quo dato, tempore quo sanguis per dicta, aliquantisper jam crispata, vasa transit, angustiationis ratione ob crispaturam sequatæ ordi motus, dictis vasis respondentis, invertitur; hinc aliqua sanguinis portiuncula inflammatoriam stasim efficit; hincque delirium.

Pro hujus symptomatis ablatione sanguinis stasis in meninge statim oppugnanda est, & quo citius hoc fiat, eò melius pericula anteventuntur; hoc autem fieri debet nedum auxiliis ralis, morbificæ causæ radicem extirpantibus, verum & aliis ipsi parti appropriatis. Spiritus vini camphoratus, cervici, fronti, vertici, & temporibus applicatus, unguentumque alabastrinum camphoratum, summopere jubant; proportionata etiam sanguinis è naribus hæmorrhagia tale solet delirium solvere: *proportionata* dixi, quia, si hæmorrhagia virium tolerantiam transgrediatur, pessima est; vacuationes enim quæ ad extremum ducunt, periculosæ sunt.

Hæmorrhagiæ præsentiam citius, quam morbi vi, ægros perire experitur; est enim evacuatio toto genere præter naturam, ideoque statim cohibenda, ni pro-

portionata, & causæ intensiori respondens, fuerit: quapropter modum, quo sanguis è naribus defluit, meditari expedit, ut bonitas, pravitasve, ex tali evacuatione orienda, nobis innotescat; sanguis enim aut stillat, aut paulatim, & per intervalla defluit, aut erumpit. Stillare sanguinem, frequentè malum; paulatim, & per intervala fluere, non omninò malum; erumpere autèm bonum, non tamèn simpliciter, nisi quibusdam perpensis, & diligentèr consideratis. Hanc practicam reflexionem de modo, quo sanguis è naribus fluit, plures apud Practicos animadversam vidi: Gal. prorrh. com. 1. aliquid insinuare voluit, dum dicit: *Cum igitur stillatio sanguinis è naribus semper malum sit signum, absolutissima morbi malitia significatur, si quarto die fiat: videtur siquidem natura collectam in cerebro abundantiam esse conata expellere, sed nequiverisse.*

Hæc, Medicinæ Alumni, vobis, ne in Practicorum diversitate vestra ingenij acies nimis selectiorem praxim exquirens, sicut ipsius Orci tenebræ, obscuretur, quæ in quinque lustris acquisivi, brebiter consecro.

**FINIS.**